

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Henr. Ioh. Nepom. Crantz S.C.A. Maiestat. Consiliar.  
Institut. Med. Et Mater. Medic. Vindob. Profes. Pub. Ord.  
Acad. Imp. Nat. Curios. Et Societ. Botan. Flor. Sodal.  
Materiæ Medicæ Et Chirurgicæ ...**

**Crantz, Heinrich Johann Nepomuk**

**[Wien], 1765**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-10189**

HENR. IOH. NEPOM. CRANTZ  
S. C. A. MAIESTAT. CONSILIAR.  
INSTITUT. MED. ET MATER. MEDIC. VINDOB.  
PROFES. PUB. ORD. ACAD. IMP. NAT. CURIOS.  
ET. SOCIET. BOTAN. FLOR. SODAL.

MATERIÆ MEDICÆ  
ET  
CHIRURGICÆ  
IUXTA  
SYSTEMA NATURÆ DIGESTÆ.


---

*EDITIO SECUNDA*  
*CORRECTA ET AUCTA.*

TOMUS SECUNDUS.



IMPENSIS, IOANNIS PAULI KRAUS,  
BIBLIOPOLÆ VIENNENSIS,  
MDCCLXV.





CLASSIS QUARTA  
**EMOLLIENTIUM.**



**MOLLIENTIA** habentur, quæ stric-  
 ctas nimis solidas partes laxant, mol-  
 liunt rigidas, exsuccas humectant,  
 fotu, balneo, potu, iniectione, vapore.

Locum habent, ubi macies, ariditas, contractio,  
 in toto corpore, vel in quadam parte adsunt, **BOER-  
 HAAVE.**

Tota fere gens columniferarum emolliens est, **LIN-  
 NÆUS.** Emollientia omnia inspissata, gummata arte  
 facta sunt, **MACQUER,** cum gummata naturalia sint  
 succi mucilaginosi insolatione inspissati, **GREW.** *of the  
 generation of liquors in the vegetation, of Trunks §. V.*

## EMOLLIENTIA.

ALTHÆA *Off. Botanicorum.* Classis Naturalis Columniferarum. *Germ.* Ebisch. *Gallis* Guimauve. *Anglis* Marsh Mallow.

ALTHÆA *foliis simplicibus tomentosis,* officinis radicem, plantam, semina largitur. Tota demulcens, mucilaginosâ, insipida est.

USUS MEDICUS multus in ardentium siccitate, quod relaxet, emolliat, in intestinorum erosione, dysenteria, stranguria, nephritico dolore, pleuritide sicca, raucedine, tussi aspera, acri, quod acrimoniam demulceat, inviscet, vias obliniat, liquida inspisset. Datur etiam, ubi rumpenda vomica est. Externe, ubi lenienda inflammata, maturandi abscessus, dolores sedandi, excoriatæ partes demulcendæ, stillicidium acre corrigendum, ut in ophthalmia serosa, acri, & morbis articularibus, plurimum familiaris. Ad libram aquæ pro usu interno radicis unc. semis, vel foliorum manipulus, sufficiunt, externa præscriptio saturatior esse potest.

PRÆPARATA. *Mucilago* althææ ex radicibus coctis, per setaceum pressis paratur. *Syrupus* de althæa *simplex* habetur, ut & *compositus*, tum *unguentum*.

ALCEA *Off. MALVA Botanicorum.* Classis Naturalis Columniferarum. *Germ.* Fell-Ris. *Gallis* Mauve Sauvage. *Anglis* Vervain-Mallow.

MALVA *caule erecto, foliis multipartitis,* suam nostris officinis emollientem herbam, non magni usus, largitur.

ADEPS.

EMOLLIENTIA.

5

ADEPS.

AXUNGIAE omnes.

BOMBAX *Offic. Botanicorum* GOSSYPIUM.

Classis Natur. Columniferarum. *Germ.* Baumwolle. *Gallis* Cotton. *Anglis* Cotton.

GOSSYPIUM *foliis quinquelobis*, exoletum in femina, & lanam officinis subministrat.

BRANCA URSINA *Off.* ACANTHUS

*Botan.* Classis Naturalis Ringentium. *Germ.* Bernklau. *Gallis* Branche ursine. *Anglis* Bear's breech.

ACANTHUS *foliis sinuatis, inermibus*: Rario-ri in nostris officinis plantæ, male sphondylium substituitur, suis in viribus haud exacte probatum, licet inter quinque emollientes plantas multis numeretur.

CANNABIS *Off. Botanicorum.* Classis Naturalis Incompletar. *Germ.* Hanff. *Gallis* Chanvre. *Anglis* Hemp.

CANNABIS *foliis digitatis*, fere narcotica, inebrians visa, GALENO, KÆMPFFERO, & aliis, RATIO suspecta est.

Semina mollia emulsa, lubricant, pinguefaciunt, in gonorrhœa utilia sunt. Viri religiosi experimentum erat, ad coxæ dolores oleum cannabis expressum, calide appositum, VELSCH. Seminum dosis in substantia scrupulus, drachma semis, in emulsionibus drachmæ duæ, uncia semis. Fila cum cineribus cocta, abdomini, & pubi apposita, fortissime emmenagoga, RODERICUS a CASTRO.

A 3

CERA.



CERA *Offic.* Classis artefactorum. *Germ.* Wax.  
*Gallis* Cire. *Anglis* Bees Wax.

Vegetabilis ex florum staminibus forte, & nectariis ab apibus collecta, & elaborata substantia *Ceram* officinis nostris suppeditat; non enim omnis ab apibus elaboratur, in Lusiana enim, ut & Florida, Carolina, Americæ septentrionalis provinciis, ex fructu arboris cera excoquitur, & in China e vermibus niveo candore præstantissima. Quæ nobis usitata est, expresso prius omni ex favis melle, igne liquatur, adiecta aqua lavatur, tum dein in panes funditur glutinosa *flava* venalis Cera; hæc dein repetita ad ignem fusione, purificata, lota, aere, sole, etiam aliis artificiis dealbata Cera *alba* est.

PROPRIETATES, quod spectat específicas, habet non paucas; nam præter saporem lentum, oleosum, odorem debilem non ingratum possidet, & consistens gravitatem specificam maiorem, quam dum ad ignem fluit *Acad. des Sciences* 1726; adhæc pura nec aqua nec spiritu vini solvitur, frigore densatur, fragilis fit, & in loco fracturæ metallo, quam resinosa, aut gummosa vegetabilis substantiæ similior est. Calore mollescit, igne funditur, tota inflammabilis volatilitatem fere camphoræ habet. Ultimo admixta rubescit cinnabari, cum viridi æris viridescit, nigrescit cum fuligine, & cum tenuissimo Gummi arabici pulvere exacte mixta, saponacea fit, aquæ patens; absque intermedio destillata in spiritum acidum & butyrum resolvitur, utrumque odoris penetrantis & ingrati: ipsum butyrum ceræ rectificatum sæpius in oleorum fluiditatem evehitur amisso omni fere in rectificatione acido. Cum arena, aut alio quocunque ter-

terreo corpore destillata, aquam dat primo acidulam ingratiſſimo nidore foetentem, & hanc dat una cum spiritu foetido, tum mutato recipiente, & aucto igne butyrum, quod nec fummo quidem frigore in ceram amplius cogatur, BOERHAAVE, & præcedenti methodo præparato butyro ſemper deterius ſit LEMERY *Chymie*, & iterata deſtillatione in oleum convertatur, citiſſime vero cum calce IDEM *ibid.*

PRINCIPIA. I. Oleum. II. Acidum. III. Aquã ſedecim ceræ uncia ſuppeditant uncias tres cum dimidia olei, duodecim cum dimidia aquæ acidulæ LEMERY *Chymie*, & in alio experimento, dederunt ceræ uncia octo olei unciam unam & drachmas ſex. *Hiſt. de l'Acad. des Sciences* 1708. Acidum ad fuccini acidum accedere viſum LEMERY *Chymie*.

USUS ceræ citrinæ, quæ albæ præfertur ad Unguenta, Emplaſtra, Baſama, Cerata, in officinis multus; generalis emolliens. *Butyrum* ceræ emolliens anodynum, neuroticum, aſperis hæmorrhoidum doloribus utile. *Oleum* repetitis deſtillationibus limpidum in curandis labiorum tam oris quam vulvæ, papillarum mammarum ſiſuris, digitorum manuumque ragadibus incomparabile. Simplex cera in alveolum evulſi dentis vel aperturam in paracentefi factam intruſa harum partium hæmorrhagiam compeſcuit *Acad. de Chirurgie* T. III.

PRÆPARATA, COMPOSITA non omnes officinæ habent, Pulvis teſtaceus ceratus in dyſenteriis laudatur.

CYDONIORUM, Semen, mucilago, vide

I. p. 42. 43.



**FOENU GRÆCUM** *Off.* TRIGONELLA  
*Botanicorum.* Classis Naturalis Papilion:  
*Germ.* Bockshorn. *Gallis* Senegre, ou fenu-  
 grec. *Anglis* Fenugreech.

TRIGONELLA *leguminibus sessilibus*, semina  
 dat officinis, unde farina, oleum.

Mucilaginoso, emollientia semina, in clysmate de-  
 coquantur ad tenesimum: etiam ex his mucilago extra-  
 hitur, asperis palpebris utilis. Farina cataplasmati-  
 bus emollientibus, anodynis, ut & oleum, adduntur.

FICUS. vide I. p. 44.

GUMMATA.

**LINUM** *Offic. Botanicorum.* Classis Pauci-stam.  
*Germ.* Flachs. *Gallis* Lin. *Anglis* Flax.  
*Italis* Lino.

LINI *sativi, annui*, semina officinalia sunt, emol-  
 lientia, admodum glutinosa, in acrimonia, strangu-  
 ria, nephritide, calculo, dysenteria, & omnibus ex-  
 coriationibus, doloribus, laudata; Interno usu raro  
 usurpantur, licet drachmæ unius, duarum pondere,  
 emulgeri possent, etiam decoqui ad tussim, raucedini-  
 nem, pleuritidem, empyema; clysmatibus frequentius  
 incoquantur, pugillorum duorum, trium, mensura,  
 in tenesimo, & intestini recti inflammatione. Farina  
 admodum emollit, maturat, cataplasmatibus incocta,  
 vel addita. Oleum multis affectibus perutile, non ci-  
 to rancescens, etiam in febribus convenit: datur in  
 ileo, colica nephritica, calculo, magna dosi, ad un-  
 cias quatuor, sex, decem.

Exter-

Externe etiam scopo emolliente adhibetur, & flini non præparata, in lacte cocta, calida, circa herniam circumposita, huic mederi *RELATIONES ab amicorum societate factæ Hamburg. 1753. germanice scriptæ*, fidem faciunt: & linum in aqua, ut fieri solet, maceratum, huic odorem, & saporem, piscibus lethalem, hominibus gravem, conciliare, *Cl. RITTER Acad. N. C. Vol. X.* observavit.

MALVA dicta est I. p. 24. 25.

MERCURIALIS *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Incompletar. *Germ.* Bingelkraut. *Italis* Mercorella. *Gallis* Mercuriale. *Anglis* English Mercury.

MERCURIALIS *caule brachiato, foliis glabris,* non satis certo emolliens, aquosa, subsalsa, eccoprotica est, clysmatibus adhibita: Interne hodie raro datur sola; dosis manipulus semis, unus, cum aliis solventibus in obstructionibus, tum aliorum viscerum, maxime uteri. Subvenenata *LINNÆO* censetur, & iuniorem ovibus lethalem, adultiori theriacam antidotum esse, *Acad. N. C. Vol. X.* Mercurialis perennis, repens, cynocrambe dicta *I. R. H.* venenatos effectus exeruit in pueris & adultis, *SLOAN philosoph. Transact. Nro. 203.*

MEDULLÆ omnes animalium.

MUCILAGO omnis, utpote quæ ex emollienti subiecto potissimum, vel fusione, vel coctione elicitur, vimque emollientem habet, recte huic classi inscribitur. Est vero in hoc argumento id memo-

ratu non indignum, diversas emollientium stirpes, earundem, & aliarum stirpium diversas partes, variam mucilaginis quantitatem largiri, tum pro viscidæ in aqua solubilis, quæ eis inest materiæ vi, tum pro encheiresis adhibitæ violentia, & diurnitate, & de hac quidem re quid quodque emolliens siccæ suppeditet facta evaporatione mucilaginis exstant novissima *Clarif. SPIELMANNI in Instit. Chem. Argent. 1763* experimenta.

Rad. ALTHEÆ }  
 SYMPHYTI } } sui ponderis dimidium,  
 MALVAE quartam partem.  
 SALEP. subquintuplum concedunt.

Unc. I. sem. CYDON. dedit drachmas tres,  
 LINI scrupulos quatuor.

OLEA, omnia, mollia, qualia vel pressione, vel coctione ex subiectis blandis, subdulcibus eliciuntur. Habent vero etiam hæ encheireses, suas non spernendas animadversiones, dum pressio, & purior, et uberiolem olei quantitatem, quam coctio suppeditet, ut in ipsa pressione, ratione præviæ præparationis multis multa, licet inutilis cura adhibeatur; malo enim consilio in calidæ maceratione amygdalas excorticare, excorticatas molendina frangere, & prælo subicere nonnulli fatagunt, dum hoc labore obtentum amygdalarum oleum longe citius rancescit. Quæ alia ipsum prælo subiciendum subiectum spectant, scilicet eius ætatem, humidam aut siccam naturam Pharmacopæis notissima sunt, ut dici non debeant; quo vero quodque suum oleum sænore ploret  
 id

id quidem non adeo tritum est: & vidit *Cl. SPIELMANNUS* l. c.

	AMYGD.	} dimidium sui ponderis
	Nuc. AVELL.	
Lib. I.	Nuc. PINEAR.	} uncias V olei largiri.
	Sem. IV. FRIG. MAI.	
	Sem. PAPA V. ALB.	uncias IV.
	Sem. CANNAB.	uncias III.
	Sem. LINI	} uncias duas cum dimidia.
Nuc. BEHEN		

OVI VITELLUS olei denarios duos dedit.

Oleum ovorum dolorem arthriticum, inunctum lenivit, *Act. Physico Med. N. C. Vol. I.* & ab eadem methodo hydropico salus hic Viennæ. Oleum, quo acetaria condiuntur, recens inunctum, tres hydropicos sanavit. *OLIVIER Trans. philosoph. T. XLIX.*

**PARIETARIA** *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Incompletarum. *Germ.* Mauerkraut. *Gallis* Parietaire. *Anglis* Pellitory. *Italis* Parietaria.

**PARIETARIÆ** *foliis lanceolato-ovatis;* est sapor aqueus, vis solvens, non mucilaginosus, nec certo emolliens, ad urinam pellendam laudata, quam succus ad tres uncias cito movet, *CAMMERARIUS*, quod & ante illum alii etiam observaverant: sed & hic succus a lapillis vindicat, *VARIGNAN;* & planta cum butyro cocta, externe applicata, & urinam & lapillos movet. *Commentat. varii argumenti germanice editae Fran-*

*Frankofourti.* 1759. & decoctum cutis vitiis, & podagræ mederi dicitur. Dosis pro decocto manipulus unus, duo: succus depuratus ab uncia una ad tres, quatuor, administratur.

PSYLLII Semina. vide *Venena.*

VERBASCUM *Offic. Botanicorum* Classis Naturalis Pauci-stam: *Germ.* Wullkraut. *Italis* Verbasco. *Gallis* Bouillon blanc. *Anglis* Moth mullein.

VERBASCUM *foliis tomentosis, decurrentibus*; præter vim emollientem, mucilaginosam, adhuc anodinam habet; decoctum foliorum ad dysenteriam, hæmoptoen ab acri, elysmata ad tenesimum valent. Coquitur etiam in lacte ad fovendas hæmorrhoides, & alias partes dolentes, excoriatas, rigidas, maiori, in hac vel illa indicatione, pondere, protractiore etiam coctione.

An flores ad phthisim vere valent? interne, scabie laborantibus certo prodesse, HAMNERIN. Dosis foliorum manipulus semis, unus: florum pugilli duo, ad libram aquæ. Occidere pisces, & temulentos reddere, ut manu capi possint, LINNÆUS; ut ex hoc experimento ratione interni usus cautiore medicos esse velit. IDEM *Dissertatio: de viribus plantarum.*



CLAS-

CLASSIS QUINTA  
ADSTRINGENTIUM.

FRUCTUS.

**I**mmaturi omnes, acerbi, vel etiam ex sua indole austeriusculi, austeri fructus, ad hanc classem revocantur. Cum enim illa, quæ fibrillis nimis flaccidis, requisitam conciliant elasticitatem, maiorem sese contrahendi potentiam, roboratis & fortibus vero rigiditatem inducunt nimiam, ADSTRINGENTIA dicantur, patet hos huius classis esse.

USUS MEDICUS roborans, compingens: sylvestrium fructuum decoctorum gargarisma, relaxatæ uvulæ medetur, ut & tumentibus a mucositate faucibus, maxime melle dilutum: immoderatam etiam compescunt alvum, & solida omnia relaxata firmant.

ACACIÆ Germanicæ fructus *Offic.* Pruni Sylvestris *Botanicorum.* Classis Naturalis Calyciflorarum. *Germ.* Heckschlehen. *Gallis* Prunelles. *Anglis* Sloe.

PRUNUS *spinosa foliis lanceolatis.* Fructus ovoides, ex cæruleo nigricans, acidissimus, subausterus, nonnullis melle conditur, in officinis exsiccat. Decocto radicis curatam vidit febrem quartanam, cortici Peruviano non obedientem *NEBEL Act. N. C. Vol. X.* Florum acaciæ pleniorum, & saturatiorem infusione.

tionem in fero lactis, alvum leniter ducere, & in subiectis tenuioribus magnæ laudis esse, HOFFMANN, *de præst. Med. Domest.* Cortex radiceis spiritui vini infusus, calculosis mirabiliter medetur, si bis de die pro una dosi cochlear unum sumatur, IDEM *ibid.*

USUS MEDICUS fructuum, seu recentium, seu exsiccatorum, etiam vino infusorum, in laxitate primarum viarum, dysenteriis biliosis, præstans. Folia amara, styptica, ad unciam dimidiam cocta, gargarisma, in vacillatione dentium, in angina aquosa, addito melle efficax, concedunt. Flos laxans alibi dicitur.

PRÆPARATA. *Succus acaciæ nostratis inspissatus*, drachmæ dimidiæ, vel unius pondere, sumitur interne: externe chirurgis multum ad plurima utilis. *Aquæ acaciæ ex floribus*, alvum laxat, ita & *Syrupus*.

ARBUTI *Offic. Botanicor.* Classis Pauci-flam: *Germ.* Arbusen. *Gallis.* Arboux. *Anglis* Strawberry.

ARBUTUS *caule erecto, foliis glabris, serratis, baccis polyspermis.* Frago fere similis fructus, crassior, sphericus, carnosus, ante maturitatem flavus, dein rubens, in quinque loculamenta, facta feminibus oblongis, dividitur. Nec in cibum in mensis, nec in medicamentum in officinis, hodie recipitur, primus mortalium cibus. Austeram tamen virtutem habet, & ad eadem, ad quæ priora, valere posset.

USUS MEDICUS vix ullus.

BER.

BERBERIS *Off. Botanicorum.* Classis Pauciflam: *Germ.* Wein-schädling. *Gallis* Epinevinette. *Anglis* Barberry.

BERBERIS *spinis triplicibus*; baccæ, rubentes, longe ovales, saporem acidissimum habent, adstrictione exceptum. Mensis baccæ, fruticis cortex tinctoriis operibus, adhibentur.

USUS MEDICUS in omnibus morbis, ubi putredo, & dissolutio humorum metuitur, vel iam adest, eximius; quoniam enim tunc acida conveniant, quæ illud compingens, & inspissans simul habeant, & hoc in baccis adfit, ratio præscriptionis evidens. PROSPER ALPINUS febre maligna cum diarrhœa biliosa periculossime decumbens, decocto, SIMON PAULI ab acri febre, & enormi diarrhœa, syrupo aqua diluto, convaluere; eodem exemplo in diarrhœis, dysenteriis, cholera, putridis, in quibus quasi homo emungitur, & in putrilaginem soluti humores, intestinorum vi destructa haud coerciti, quasi continuo perpluunt, exemptis feminibus in pulpam redacti, vel in potum cocti fructus, feliciter exhibentur, non adeo facile limitanda dosi. Cortex, radix, amara sunt; folia intense acida, omnia roborantia. Cortex medianus, viridis, ad aquas hydropicorum educendas CLUSIO pro arcano datur, etiam *Illustr.* L. B. van SWIETEN probatur. Ligno propior cortex, flavus, amarus, deterisivus, aperiens, eximii Anglis usus habetur, in ictero.

PRÆPARATA. *Succus, syrupus berberum*, laudati. *Rotulæ* in caloribus gratæ, & utiles.

COR.



CORNI *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis  
Fructiflorar. *Germ.* Cornell-Kirschen. *Gallis*  
Cornouilles. *Anglis* Cornells.

CORNI *umbellis involucre multo longioribus, oblongi, olivæformes, sed graciliores, parum carnosifructus, primum virides, dein rubri, officula recondunt familia, qualia fere in olivis, durissima. Saporem acerbum, amarum, immaturi, non ingratum, acido-dulcem, cum quadam semper adstrictione, maturi possident, olim etiam in ciborum honore habiti.*

USUS MEDICUS in alvi profluviiis, & intestinorum laxitate, forma electuarii, & decocti, ad unciam unam, duas, utilis.

CYDONIA *Offic. vide P. I. p. 42. 43.*

Hoc malum, excepto semine mucilaginoso, emolliente, totum roborat, & adstringit, convenientissimum plurimis, quia sapidum adhuc, & gratum. *Succus, syrupus, miva,* prostant pro interno usu, in usum externum *oleum* habetur.

CYNOSBATI fructus *Offic. Botanicorum.* Rosæ Sylvestris. Classis Naturalis Calyciflorarum.  
*Germ.* Hetschepetsch. *Gallis* Gratecu. *Anglis* Heps. ~~*Fructus*~~ *Fructus*

ROSA *foliis, & fructu rotundo, laevibus, calycis foliolis divisis.* Fructus ex rotundo conicus, glaber, intensius rubens, corallinus, saporis non ingrati, lapillis durioribus, multa lanugine vestitis, farctus, exemptis lapillis ad mensas vario modo præparari solet, edulis.

USUS

USUS MEDICUS in diarrhœis, dysenteriis utilis: decocto diarrhœa mitigatur, *Acad. N. C. Vol. VII.* An adeo prodest calculosis? conserva ex floribus, ut etiam fructu, in consumptione, & morbis pectoris, tum defluxionibus catarrhalibus, Anglis frequens, ALLEYNE. In fungo, insecti nido, estne vis medicata post tot laudes?

GLANDES QUERCINÆ *Offic. Botanicor.*  
Classis Naturalis Incompletar. *Germ. Eichel.*  
*Gallis Gland du chene. Anglis Acorns.*

QUERCUS *foliis annuis, oblongis, superne latioribus, sinibus acutioribus, angulis obtusis.* Omnia in hac arbore adstringentia sunt, cæteris tamen partibus ipsa glans minus, quæ & in ciborum honore veteribus haberetur.

USUS MEDICUS, ubi adstringendum, præstans. *Folia* ad balnea adstringentia, ut & *cortex*, vocantur. *Lignum* a quibusdam magni habetur, ut etiam Guaiacum Germanorum dicatur, ad pestem accensum valens. *Cinerum lixivium* ad hydropem, pedes œdematosos, commendatur. *Succus* ex quercu terebrata fluens mictui cruento auxiliatur, *Philosoph. Transact.* *Cupula*, involucri fructus, ipse fructus, pulverata, intestinorum laxitatem tollunt. Est etiam adstringens *fungus*, & qui ligno adnascitur *muscus*; sed gemmæ & folia recentia pecori noxia sunt.

MESPILI *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis  
Calyciflorarum. *Germ. Nespeln. Gallis Nef-*  
*le. Anglis Medlars. Italis Nespolo.*

MESPILI *foliis lanceolatis, integerrimis, subtus tomentosis, calycibus prominentibus, globosi, calyce*  
*Crantz M. M. T. II.* B co-

coronati, carnosus fructus, immaturi ex albo flavi, duri, acerbi: maturi mollescunt, & rubiginosi fiunt, tum magis grati, vinosi; ossicula habent quinque oblonga dura.

USUS MEDICUS, in sistendis alvi immodicis fluxibus, celebris, exemplo FORESTI, qui plurimos hoc medicamento curavit.

MORA *Off.* immatura *vide* P. I. p. 49.  
*Roob* mororum immaturorum est in officinis.

MYRTILLI *Off.* *vide* P. I. p. 49.  
*Syrupus* myrtillorum.

MYROBALANI. *Offic. Botanicorum.* Classis ignoratur. *Germ.* Myrobalanen. *Gallis* Myrobalans. *Anglis* Myrobalans.

Ex Indiis ad nos allati fructus conditi, in quinque species officinis dividebantur, in Belliricas, Chebular, Emblicas, Citrinas, Indas; botanicis nonnullis in totidem genera, an maiori certitudine? veteres officinæ singulis illarum speciebus, vim singularem, & specificum ducendi corporis humorem adscribere, recentiores omnibus eandem virtutem tribuere, an rectius? in sapore, & reliquis attributis horum fructuum manifestam differentiam invenias.

USUS MEDICUS in decocto aquoso, vinoso, quam in pulvere, convenientior, ubi ex intestinali tubo acria irritantia expellere, & vasa firmare consilium, drachmarum duarum, trium, quatuor, unciæ unius, exemptis prius ossiculis, pondere, laudatur. Exoptatum, in procidentia ani infantibus familiari, concedere

dere Belliricas, infusas, vel decoctas remedium, & ea dosi, ut purgare non possint, datum, asserit *Illustr. L. B. van SWIETEN.*

COMPOSITUM. *Roob* myrobalanorum, non spernendum, ad unciam unam sumptum.

MYRTI BACCÆ *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Calyciflorarum. *Germ.* Myrten Beerlein. *Gallis* Bayes de Myrte. *Anglis* Myrte Berries.

MYRTUS *floribus solitariis, calyce fructus diphylo.* Baccæ exiguæ, in initio virides, ætate nigrescentes, oblongæ, rugosæ, in tria loculamenta seminibus auricularibus fœta dividuntur.

USUS MEDICUS omnium myrti partium non spernendus. Foliorum, & baccarum duplex vis, & adstringens, & aromatica balsamica, multum promittit; sed cur neglecta? in omnibus morbis, ubi utraque virtute opus, ut primarum viarum simplici laxitate, fluore albo, morbis virgineis, eximius usus, seu in substantia ad drachmam dimidiam, seu in infuso, vinis medicatis, ad unciam unam, exhibeantur. Ad manantia capitis ulcera, si siccare expedit, ad articulos a nimia laxitate ligamentorum distractos, decoctum myrti chirurgis familiare, & utile.

POMA immatura, vel matura austeriuscula, P. I. p. 53.

PUNICA, seu GRANATA *Off. Botan.* PUNICA. Classis Natur. Calyciflorarum. *Germ.* Granat-äpfel. *Gallis* Grenade. *Anglis* Pomegranates. *Italis* Pomi Granati.

PUNICA fructum habent globosum, umbilicatum, sub cortice aspero, duro, coriaceo, rugoso, coloris

loris ex luteo puniceo, medullam succulentam, innumeris granulis angulosis, rubris, factam; iam veteribus exacte notus fructus, ratione saporis etiam distinctus fuit, in *dulcem*, *acidum*, & *acido-dulcem*, seu *vinosum*. Punicorum flos *balauſtia*, cortex *malicorium* officinis vocatur.

USUS MEDICUS, pulpæ folius, vel factaro remixtæ, acidulæ, subauſteræ, in morbis biliosis, putridis, diarrhœis, dysenteriis, valens; etiam ipsius succi admodum felix; ita in diarrhœis, & dysenteriis a bile motis, præmissio leni purgante, succum acido-dulcium affatim sumendum exhibuit *Illustr. L. B. van SWIETEN*, & curavit quam plurimos.

In febribus putridis, decocto avenæ fervido eluta pulpa, potum dat saluberrimum, omni putredini adversum, egregie cardiacum. Mali punici succum in cardialgia etiam adhibuit *HIPPOCRATES*: mulier cardialgia torquebatur, nec prius malum est sedatum, quam polenta, succo punici mali aspersa, semel de die uteretur. De *corticibus*, & *floribus* suo loco.

PRÆPARATA *succus*, & *syrupus* Granatorum.

PYRA immatura vel matura auſteriuscula, acerbæ. P. I. p. 54.

SORBI BACCÆ *Offic. Botanicorum*. Classis Natur. Calyciflorarum. *Germ.* Arlasbeer. *Gallicis* Corne. *Anglis* Sorbs. *Italis* Sorbo.

SORBUS folio septangulo, fructu ovato-biloculari. Baccæ turbinatæ, umbilicatæ, parvæ, pyriformes, immaturæ, ut mespili acerbæ, etiam ut hi in stramine mollescunt. Huius sorbi, Terminalis, baccæ pressæ potum dant sapidum, siccatæ parum salubres sunt.

USUS

USUS MEDICUS, ut mespilorum idem: pos-  
sunt in pulvem contundi, & addito saccharo in condi-  
tum præparari: possunt decoqui, haud scrupulosa dosi,  
cum nobis in alimentum cedant sanis.

SORBI DOMESTICÆ BACCÆ *Offic. Bo-  
tanorum*. Classis Natur. Calyciflorarum. *Germ.*  
Sperben. *Austr.* Afcheritz, Speirling.

SORBUS *foliis pinnatis fructu pyriformi quinque-  
loculari*. Baccæ maturæ edules, acidæ, immaturæ ad-  
stringentes.

UVA *Offic.* immatura, vide P. I. p. 60. *Syrus*  
de agresta.

HERBÆ, ET RADICES.

ACORUS PALUSTRIS, *Offic. Botanico-  
rum* IRIS, Classis Naturalis Palmarum. *Germ.*  
Gelbe Schwertel. *Gallis* Flamb bastarde. *An-  
glis* Gladdon.

**I**ris corollis imberbibus, petalis internis stigmatè bre-  
vioribus, foliis ensiformibus, non imbecilliter ad-  
stringit, in scorbuto laxo utilis. In infuso vinoso ad  
unciam semis, unam, datur.

ALCHIMILLA *Offic. Botanicorum*. Classis  
Naturalis Incompletarum. *Germ.* Löwenfus.  
*Gallis* Pied de Lion. *Anglis* Ladies Mantle.

Plures huius plantæ pariter species sunt, stypticæ  
omnes. Officinis est, alchimilla *foliis lobatis*, fami-  
liaris, & de ea, herba, & radix usitata sunt.

VIRES MEDICÆ insigniter adstringentes, vulnerariæ, in laxitate intestinorum, & exulceratione utiles; ad ulcera pulmonum, ramices, etiam laudatæ.

BISTORTA *Offic. Botanic.* POLYGONUM.  
Classis Pauci-flam. *Germ.* Naterwurtz. *Gal-*  
*lis* Bistorte. *Anglis* Bistort.

POLYGO NI *foliis imis appendiculatis, semine tri-*  
*quetro*, radix, officinis frequens, acido austera,  
adstringens.

USUS MEDICUS in parte laxa firmanda mul-  
tus; valet radix ad vacillantes dentes, etiam dentium  
dolores, ad reprimendas defluxiones, si consilium:  
dosis in decocto unc. unius. In pulvere gran. decem,  
viginti, triginta, bis, ter de die.

CAPILLUS VENERIS. *Offic. Botanicorum*  
ADIANTHUM. Classis Naturalis Cryptan-  
therarum. Ordo filicum. *Germ.* Venus-Haar.  
*Gallis* Capillaire. *Anglis* Maiden Haire. *Ita-*  
*lis* Capel Venere.

ADIANTHUM *foliis coriandri* C. B. vim robo-  
rantem habet: syrupus Monspeli, & Parisiis factus, ad  
tussim, & morbos pectoris pituitosos multum effertur;  
vix multum efficax.

CETERACH *Offic. Botanicorum* ASPLE-  
NIUM. Classis Naturalis Cryptantherarum.  
Ordo filicum. *Germ.* Kleinmiltzkraut. *Anglis*  
Spleenwort.

ASPLENIUM *frondibus pinnatifidis, laciniis al-*  
*ternis, adnatis*; huic vis eadem roborans, & deob-  
struens tribuitur. Nuper etiam diuretica eius vis dete-  
cta

Est, nec alia medicina ad depellendum ex renibus  
 fabulum aptior, dum matutino tempore forma Thee  
 cum floribus papaveris rhœados aut alia quacun-  
 que planta in casum præsentem coindicata sumitur.

RUTA MURARIA *Offic. Botan.* ASPLE-  
 NIUM. *Classis Natur. Cryptantherarum, Ordo*  
*filicum. Germ. Mauerkraut.*

ASPLENIUM *frondibus alterne decompositis, fa-*  
*liolis cuneiformibus, crenulatis: etiam roborans in ra-*  
*chitide utile; in hydromelle infusum, pectorale.*

SCOLOPENDRIA. *Offic.* ASPLENIUM  
*Botanicorum. Classis Naturalis Cryptanthera-*  
*rum. Ordo filicum. Germ. Hirschzung. An-*  
*glis Spleenwort.*

ASPLENIUM *frondibus ensiformibus integris,*  
*basi cordato-inflexis, petiolis hirsutis: præcedentibus*  
*magis adstringens, rachiticis datur.*

EQUISETUM *Offic. Botanicorum. Classis*  
*Natur. Cryptantherarum. Germ. Rofschwanz,*  
*Gallis Queue de cheval. Anglis Horse-tail.*

In officinis maius, & minus promiscue usurpatur,  
*arvense* frequentius adhibetur, cognoscitur, *scapo fru-*  
*ctificante nudo, caule sterili, ramis compositis.*

USUS MEDICUS hulus herbæ admodum ad-  
 stringentis, in sanguinis profluviis, sputo, mictu cruen-  
 to, in quo HELWICH nunquam fefellit *Ephem. N. C.*  
 tum in alvi profluviis, anginis aquosis, specificus ha-  
 betur. Specificus itidem diureticus L. Ulceribus in-  
 ternis, pulmonis, renum, vesicæ, urethræ, admodum  
 proficua multiplici experientia planta, in pulvere, sic-



cata, a scrupulo ad drachmam semis, in decocto ad unciam semis, recens in succo ad uncias duas, cochlearium fumendo, datur. Externe etiam contusa recens sanguinem in vulneribus illico cohibet.

His iam omnes plantæ coriariæ dictæ, addi possunt, quæ quoniam vita destitutas animalium pelles cogunt, coarctant, condensant, vivas partes longe magis indurare debent, ut sunt, *Rhus*, *Abies*, *Cotinus*, *Betula*, *salix* &c. ex quibus remedia heroica.

**GNAPHALIUM** *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Compositarum floribus nudis. *Germ.* Ruhrkraut. *Gallis* Immortelle. *Anglis* Doweweeet.

**GNAPHALIUM** *caule simplicissimo, corymbo simplici, terminatrici, sarmentis procumbentibus; exsicans, adstringens est.*

In dysenteria valere nomen Germanicum indicat; contusum contra panaritium esse, & in decocto potum doloribus resistere *GMELIN Floræ Sibiricæ T. II.* An in arthritide, tussi convulsiva, valeat? *LINNEUS* interrogat. In pulmonum ulceribus efficax plurimorum experimenta comprobarunt.

**HEDERA ARBOREA** *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis fructiflor. *Germ.* Epheu. *Gallis* Lierre. *Anglis* the Ivy-Tree. *Italis* Hedera.

**HEDERA** *foliis ovatis, lobatis; folia, baccas, resinam, officinis exhibet: folia vulnerarium, roborantem, antisepticum usum habent, in ulceribus, ozæna, fonticulis, vel eluendis, vel tegendis, etiam ad tumores mammarum resolvendos, HAMNERIN de viribus planta-*

*plantarum indigenarum.* In pulvere data laudantur specifica in atrophia infantum. *Aët. N. C.* vol. V. *Baccas* contra pestem valere, & sudorem movere BOYLEUS. *Resina* subadstringens, leniter aromatica, in viscerum debilitate interne utilis, raro adhibita.

LAPATHUM *Offic. Botanicorum.* Rumex  
C. Classis Naturalis Incompletarum. *Germ.*  
Mengolt. *Gallis* Parelle. *Anglis* Dock.

Inter varias lapathorum species LAPATHUM *acutum*, seu *oxylapathum* C. B. officinæ frequentius, raro, folio acuto rubente EIUSDEM, maxime *aquaticum*, folio cubitali, cordato-lanceolato, recipiunt: ex priori radicem, herbam, semen, media radicem, succum, femina, posteriori herbam, radicem, adhibemus. Radices amaræ, austeræ magis sunt, folia levem etiam aciditatem habent.

USUS MEDICUS primæ, & secundæ plantæ hucusque non satis distinctus, prioris tamen frequentior, adstringens, siccans: decoctum ad scabiem habetur specificum, etiam in scorbuto utile; ad podagræ prophylaxim laudatur MUNTINGIO. Externe humida ulcera compescit lotio, aut fomentum, unguentum, ex his parata.

Tertia, seu herba Britannica ad unciam unam, duas in iusculis, apozematibus, contra oris vitia, cacoethem, scelotyrben, specifica, ad eruptiones chronicas in cute, aliasque pustulas, dolores rheumaticos, arthriticos, ischiadicos, summopere a suis recommendatur authoribus, longo semper tempore sumta. Semen ex lapatho folio acuto rubente C. B. miraculi loco sopit alvi fluxum dolentem, scrup. unius, vel drachmæ semis dosi contu-

sum, & in vino sumtum, facit id etiam colatus liquor,  
*Cl. VOLKAMERUS. Ephem. Dec. 2. Anno primo.*

**LYSIMACHIA** *Offic. Botanicorum* Salicaria.  
 Lythrum L. Classis Calyciflor. *Germ.* Weide-  
 rich. *Gallis* Lyfimachie. *Anglis* Loose-strife.

**LYSIMACHIÆ**, olim officinis familiares, a ma-  
 teriæ medicæ scriptoribus fere omnibus, adhuc recen-  
 sitæ, varias patiuntur differentias, licet congeneres fere  
 virtutes habeant omnes. Ipse Pater **DIOSCORIDES**  
 lysimachiam *luteam*, & *purpuream*, eiusdem efficaciam  
 esse enunciauit, licet ad diversa genera plantæ raptæ,  
 hodie etiam diversis nominibus insignitæ sint; *lutea*  
 enim nomen lysimachiæ retinuit, & est prima **MATHIOLI**  
 in **DIOSCORIDEM**; altera salicaria auctore  
**TOURNEF. HALL.** bene dicta est, lythrum etiam L.  
 & hæc secunda **MATHIOLI** est. Itaque planta, de  
 qua hic loci agitur, definitur Salicaria *floribus spicatis,*  
*foliis coniugatis.*

**USUS MEDICUS** voluit omnes adscribere vires  
 purpureæ, licet de rufa & aurea ita **DIOSCORIDES**:  
 foliorum succus adstringente sua vi sanguinis reiectio-  
 nem supprimit, dysentericis potui datur, aut infundi-  
 tur, mensium abundantiam sistit in pefso, sanguinis  
 profluvio subvenit, si nares ea obturentur, vulnerum  
 cruorem cohibet. **GALENUS** vero: lysimachia supe-  
 rantem habet qualitatem adstrictoriam, per quam &  
 vulnera glutinat, erumpentem e naribus sanguinem  
 emplastrî modo illita compescit, quin & reliquas san-  
 guinis eruptiones sistere potest, cum ipsa, tum succus  
 eius multo magis. Pota dysenterias, sanguinis reiectio-  
 nes, ac muliebre profluvium sanat. Ex his fontibus  
 dein omnes alii dixerunt, rari qui quidquam addidere; lien-  
 teriæ,

teriæ, gonorrhœæ mederi ZORN, ad inflammationes oculorum laudari, HALLERUS.

Purpurea novo tentamini adhibita alvum fistere, & a laxitate ortas dysenterias, diarrhœas curare, ut olim visa; præ aliis nil detectum; cæterum iam hoc encomio ornata HAMNERIN, *de viribus plantarum Upsalæ* 1737. ad qualemcunque hæmorrhagiam, diarrhœam, dysenteriam fistendam, profluviumque muliebri suppressendum, mirabiliter conferre succum, vel decoctum herbæ interne haustum; præflare in dysenteria clysteres ex herba paratos injicere. Ad vulnera & contusiones oculorum etiam aquam stillatiam enixe a PARKINSONO laudari video, an certa satis fama?

PENTAPHYLLUM *Off. Botanicor.* FRAGARIA. *Classis Natur. Calyciflorarum. Germ.* Finf - finger - Kraut. *Gallis* Quinte feuille. *Anglis* Cinck-foil.

FRAGARIA *foliis digitatis pedunculis unifloris, caule repente;* multas differentias patitur, nec forte adeo scrupulose ratione virtutis adstringentis disquirendas; quod usuale est pentaphyllum, est maius repens C. B. Tota in usum venit herba, etiam sola præscribitur: radix herba valentior.

USUS MEDICUS in solidorum laxitate, humorum dissolutione, utilis, ad dolores dentium, ulcera oris putrida, decoctum radicis laudat DIOSCORIDES: in nimio mensium, vel lochiorum fluxu, in diarrhœis, dysenteriis, ALII. Datur in substantia drachmæ dimidiæ, etiam unius; unciæ semis, integræ pondere in de-

decocto. Recentis plantæ succus quatuor, sex uncia-  
rum mensura, in iusculo datus, fluxum album felici-  
ter sustulit, apud TOURNEFORTIUM. Quid valeat  
in intermittente, hodie scimus, sed quid in epilepsia  
possit, post AVICENNÆ, I. CAMERARII, obser-  
vationes, ignoramus.

PLANTAGO *Off. Botanicorum.* Classis Pau-  
ci-stamin. *Germ.* Wegerich. *Gallis* Plantain.  
*Anglis* Plantain.

PLANTAGO *foliis ovatis*, ut etiam eius diffe-  
rentiæ, promiscue in officinis usurpantur. Tota præ-  
scribitur planta, vel sola radix, aut semen.

USUS MEDICUS eam inter adstringentia le-  
niora consecravit; decoctum plantæ in hæmorrhagiis  
laudatur: vino adstringenti chalybeato herba infusa,  
in fluore albo, dum ex sola relaxatione catarrhosis  
est uterus, extollitur; ad sanguinis sputum confusa,  
cum radice consolidæ maioris, BOYLEO deprædica-  
tur; & duæ mulieres phthificæ omni mane sumpse-  
re per octiduum succi plantaginis recenter pressi coch-  
lear unum, dein per mensem duo cochlearia, elixir  
autem proprietatis semel, vel bis de die, & convaluere  
*Ephem. N. C.* vol. IV. Externe macerata, ut mol-  
lescant folia, ulceribus antiquis, sordidis, applicantur;  
Vesparum morsibus confusa planta ut & succus meden-  
tur. Dadur confusa in conservam recen planta, in infuso,  
decocto, non facile limitanda dosi. Semina innocua,  
virtute styptica vix gaudent.

PRÆPARATA. *Aqua* plantaginis inutilis, *ex-*  
*tractum* vires habet; dosi a scrupulo uno ad drachmam  
fe-

femis, unam. Succus ex virente planta exprimendus, laudabilis.

PIMPINELLA SANGUISORBA *Off. Botanicorum.* Classis Naturalis fructiflorarum. *Germ.* Blutverzehrende Bibernelle. *Gallis* Pimprenelle. *Anglis* Burnet.

SANGUISORBA *foliis subrotundis.* Tota planta medicis adhibetur; radix enim, quæ in officinis habetur, est saxifragæ, aromatica, stimulans, haud in hac classe recensenda, secus ut alii putarunt. Cæterum in lactucis, & acetariis satis nota planta est.

USUS MEDICUS leniter adstringens, vulnerarius, ad sanguinis profluvia, vulnera, fluxum hæmorrhoidalem, laudatus.

PORTULACA vide P. I. p. 26.

RUBIA TINCTORUM *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis fructiflorarum. *Germ.* Färber-Röthe. *Gallis* Garance. *Anglis* Madder. *Ital.* Robbia.

RUBIÆ *asperae, radice rubra,* radix, tinctoria, adstringens, roborans, diuretica, in officinis accipitur. Assumpta ossa inficit; gallinarum infici primus vidit BELCHIER *Philosoph. Transact.* Nro. 443. Tum BAZANUS *Instit. Bonon.* T. II. etiam ossa durissima tingi, iuniorum tamen citius, rubrum ossium colorem dein iterum evanescere, DUHAMEL *Acad. des Sciences* 1739. etiam dentes tingi LOESEKE: ossis fracti callus tamen non erat ruber, BOEHMER, nec un-

unquam caro, nervus, tendo, ligamentum, aut alia pars, quæ ossa non sit, inficiebatur. DEHTLEFF. *dissert.* Sed neque rubia solum ossa inficit, GUETTARD *Acad. des Sciences* 1746. sed etiam *Gallia* tam flore albo, quam flavo, ut & *Asperula*. IDEM. Kermes rubrum tamen non tingit eadem, IDEM, nec alia in re tinctoria usitata, ut Indicum, Alcanna, Curcuma, Fernambucum, Tantalum rubrum, Lignum Brasilianum, BOEHMER l. c. nec ossa inficit Isatis, nec tingit Carthamus, NONNIUS *Act. Acad. Mogunt.* T. I, nec ea aut Opuntiae fructus, aut plantae Indigophoræ penetrat succus, licet in vaccis lac cæruleo, in nutrice rubro, & urinam in infantibus itidem rubro colore inficiat GARDEN. *Philosoph. Transact.* Vol. V.

USUS MEDICUS. Firmandis rachiticorum ossibus primus adhibuit LEVRETUS, plurimis curis felix. In pulvere dari potest scrupuli unius, bis, ter de die, dosi: unciae unius in infuso, vel decocto. Radix inter quinque aperientes minores dudum recepta est, & nuper iterum in quaestione medica contra rachitidem laudata COSNIER, & cum absorbentibus omnem curam absolvit.

SANICULA *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Umbelliferarum. *Germ.* Sanickel. *Gal.* *lis* Sanicle. *Anglis* Sanicle.

SANICULA subinsipida, habet saporem exsiccantem, & adstringentem: ad vulnera, ulcera mali moris cacoethes, iam dudum laudata, in lavamento: in decocto contra hæmoptoen, dosi unæ una.

TORMEN.

TORMENTILLA *Offic. Botanicorum.* FRAGARIA. Classis Naturalis Calyciflorarum. *Germ.* Roth-heilwurtzel. *Gallis* Tormentille. *Anglis* Tormentill. *Italıs* Tormentilla.

FRAGARIA *foliis quinatis, calyce octofido, flore tetrapetalo, radix, potissimum in officinis recepta, nodosa; vis ei acerba, adstringens specifica.*

USUS MEDICUS specificus in dolore dentium cum aceto coctæ, addito opio, PARACELsus: in diarrhœis, dysenteriis, metu abortus a laxitate, decoctum gratum, & proficuum. Etiam externe ad ulcera mucosa humida utile, SALA expertus. Dosis in decocto ad libram aquæ, uncia semis, una: in pulvere a granis decem ad viginti, triginta, bis, ter de die.

UVA URSI *Offic. Botanicor.* ARBUTUS. Classis Pauci-stam.

ARBUTUS *cauliculis procumbentibus, foliis integerrimis, an veteribus cognita, & adhibita, multum dubium? pauca pharmacopœæ, & hæ inter vaccinia habent; gallicæ, suecicæ sub nomine uvæ ursi utuntur.*

USUS MEDICUS adstringentem, ut iam sapor indicabat, probavit. Foliorum pulverem, quantum novi, primus L. laudavit præstantem in calculo: multi levantur sopito dolore, alii adiecto diacodiatto tantum: in viarum urinarum suppurationibus utilis comperita, adstringens, vulneraria est. Sed estne certa quædam in vias easdem adstringentium vis? contra cal-



calculosas renum, vesicæ, concretiones, iam dudum alia adstringentia laudantur: præsens esse, drachmæ radicis pentaphylli pondus, vino epotum, ad calculum remedium, ZAMAR expertus, ita etiam recommendatur Agrimonia, adstringens & terrea: de adstringentium usu in calculo integram dissertationem olim HEUSCHERUS. Experimenta, in nosocomio practico hic Viennæ instituta, uvam ursi his in malis multum aliquando deprædicarunt, hodie tacent; & de uvæ ursi virtute nuper dubitavit in disquisitione Chemica & Medica huius plantæ GERHARD *Berol. germ.* 1764.

## FLORES.

BALAUSTIA, *seu* flores Granatorum *Offic.*  
vide p. 19. 20.

**B**ALAUSTIUM sylvestris punicæ florem, cytinum sativæ vocavere veteres. Hodie punicæ flore pleno maiore, flos, balauustum seu balaustia officinis audit.

USUS MEDICUS inferiora longe malicorio, balaustia probat, in morbis omnibus laxis internis, & externis laudata, forma pulveris ad drachmam unam; infusi, decocti aquosi, aut vinosi, ad unciam unam; unde decocta, gargarisinata, collyria, clysmata, fomenta, fiant appropriata.

MALVÆ ROSEÆ flores *Offic.* vide P. I.  
p. 24. 25.

ROSA-

ROSARUM RUBRARUM flores *Offic. Botanicorum*. Classis Naturalis Calyciflorarum. *Germ.* Rothe Rosen. *Gallis* Roses Rouges. *Anglis* Red Rose.

Inter rosas adstringentes rubras, eliguntur adhuc illæ, quæ pleno flore gaudentes, *provinciales* audiunt, odoratissimæ, & stypticæ, siccatæ, non adeo adultæ, optimæ.

VIRES MEDICÆ adstringentes, balauftis minores, gratæ simul odoratæ. Exsiccatæ se pulverisari patiuntur: forma pulveris exhibendæ: aquæ infusæ vim adstringentem, odoratam, cum pulchro colore conciliant, cui si aliquot guttæ spiritus acidi fossilis addantur, saccharum ad maiorem gratiam commisceatur, claretum habetur in morbis calidis, putridis, dissolutione humorum, etiam diarrhœa stipatis, magnæ efficacæ.

PRÆPARATA officinalia plurima sunt, duplex imprimis *conserva*, hæc *simplex*, altera spiritu vitrioli addito ad gratam aciditatem, *vitriolata*; utraque efficax, & egregia ad drachmam dimidiam, integram, per se exhibenda, maiori electuariis ad unciam dosi: prior phthilicis, & hecticis dicata, HOFFMANN *de Præstant. Remed. domesticorum*, & ubi roborandum; altera, ubi & putredo simul oppugnanda, convenit.

Ex infuso rosarum rubrarum cum melle cocto, fit *mel rosatum* officinarum, ulcera sordida laxa depurans, roborans, seu gingivarum, buccarum ea fuerint, seu aliarum partium; collutoriis, clysmatibus, unguentis, additur a chirurgis.

Cranz M. M. T. II.

C

In-

Infusum expressum, saccharo inspissatum, dat *syrupum* de rosis ficcis, iisdem casibus utilem, interne tamen magis usitatum, aphthis, faucium incipienti inflammationi, convenientem.

Florum facta in aceto infusio *acetum rosatum* est, cuius elegans in mensis, & medicina usus in nodulis odoramentalibus, quæ vis ad aliam iam classem spectat, ut & *aquæ stillatiæ* rosarum rubrarum, non ædstringens, sed cardiaca, excitans.

## C O R T I C E S.

CAPPARIDIS Cortex *Offic. Botanicorum.*  
 Classis Multi-stam. *Germ.* Capern. *Gallis* Caprier. *Anglis* the Bark of the caper plant.

**C**APPARIS *aculeata.* Est radicis, quæ officinalis est, cortex. Radicibus quinque aperientibus minoribus adnumeratur. Gemmæ florum in mensis magis quam nobis notæ, licet & multum medicatæ.

USUS MEDICUS eandem huius corticis, ac sequentis vim confirmavit, in malo hypochondriaco, paralyfi etiam laudatus L. est: gemmarum vero vis aromatica, solvens, longe magis certa; desperatos spleneticos, solo usu capparum, adiuncto potu aquæ ferrariorum, fuisse curatos, iam plura exempla sunt.

PRÆPARATA. *Oleum* capparum satis inutile.

FRAXI-

FRAXINI Cortex. *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Incomplet. *Germ.* Efese. *Gallis* Fresne. *Anglis* Asch-tree.

FRAXINUS *floribus nudis*, adstringens est, vim diureticam, & diaphoreticam etiam alii illi adscribunt; dosis drachma semis in pulvere. Semen aperitivum, stimulans, dicitur, quod spiritui Juniperi infusum in Hydropsē laudat *Illustr. van SWIETEN.* Corticis Fraxini albi cinerem, aceto in cataplasmatibus consistentiam actum, rabidorum animalium moribus inducto vulnere cum fructu adhiberi, ab agrestibus septemtrionalis Americæ populis exstat, in *Journal. Etranger. Janv. 1761.*

GRANATORUM Cortex, seu MALICORIIUM *Off.* vide p. 19. 20.

Cum ex adstringenti hoc, & duro pomi cortice olim firmarentur coria, *Malicorium* dictus fuit, quod nomen officinis remansit.

VIRES MEDICÆ *balaustris* longe violentiores, ob id minori dosi exhibendus cortex. Forma pulveris ad scrupulum unum, drachmam semis, in diarrhœis, dysenteriis, infusi, decocti, ad unciam semis datur. Inde & egregia in laxitate uvulæ, anginis aquosis, gargarismata.

PERUVIANUS CORTEX. CHINA CHINA. *Offic. Botanicorum* QUINQUINA. Classis Naturalis ignoratur. *Germ.* Fieber-Rinde. *Gallis* Quinquina. *Anglis* the Iesuits bark.

QUINQUINÆ e regno Peruviano ad nos advectus cortex, aridus, unam, duasve lineas crassus, foris

scaber, ferrugineus, & non nihil canescens, intus levis, rufescens, cinnamomi colore visitur. Odor debilem, mucidum, aromaticum, sapor amarum, ingratum, auferum iudicat.

Optimus, qui ex ramulis, densus, gravis, a ligno repurgatus, fractu splendens, pistilli ictibus volatilis reddendus, in decoctione spumescens, & ora vasis transcendens habetur.

USUS MEDICUS, ad debellandas febres intermittentes, & continuas remittentes, conditionibus ab *Illustr. L. B. van SWIETEN in Commentariis præscriptis*, specificus: etiam in continua cum delirio, ex intermittente nata, utilis, *SUMEIRE*; & in febre hydropicum aggrediente *Act. nova Phys. Med. N. C. Vol. V.* & in febre petechiali maligna, *HUXHAM de aere, & morbis epidemicis*, in eadem cum hæmorrhagiis, *essai sur les fievres* *IDEM.* in variolosa petechiali nigra cum acidis fossilibus *ibidem.* Pulveris uncie unius pondus, in duodecim doses divisum, imperatur. Formas alii mutant, & oppositæ indolis alia, non æque felici semper successu, commisceant; eadem quantitate in electuarium cogi potest, infundi etiam, decoqui, in syrupum inspissari, imo & clysmate subministrari infantibus delicatulis, aliis, ut res exigit, drachmarum duarum his, uncie semis dosi illis, semel, hisve die intercalari, *BUCHWALD. Prod. Act. Havniens.* Scire enim iuvat decoctionem ferre, & longam requirere, octavum super affusa aqua decoctum adhuc amaricasse, *FULLERUS.* Colata infusa, decocta, imbecilliora esse: turbida quidem nauseosa magis, sed & magis efficacia, *ALLEYNE.*

In

In gangræna, & sphacelo iterum specificus, drachmæ dimidiæ omni quadrihorio dosi, proserpens malum figit, & excitata suppuratione mortuum a vivo separat; hic etiam fomenta ex cortice utilia. Notari tamen meretur in angina gangrænosa incassum datum. *Medical observations and inquiries by a Society of physicians in London.* Vol. I. Tum corticem in substantia non tantum profuisse, ac in tinctura parva dosi datum, HUXHAM. *Recueil periodique d'observations de Medecine &c.* T. VII, & in omni gangræna sicca inutilem corticem esse denuo SHARP. *Recherches Critiques sur l'Etat present de la Chirurgie,* & BAGIEV *Examen de plusieurs parties de la Chirurgie.* 1757. Alias tamen etiam cancerum lenit, & dexterrima operatione separat. *Illustr.* L. B. VAN SWIETEN, sed vulnus non consolidat. IDEM. Cancer mammæ exulceratus, cortice peruviano sanatus, Clarissimo RITTER recensetur *Nov. Act. Acad. N. C.* Vol. X. rarum exemplum! hodie cicuta id fit certius. Dedit etiam de usu corticis in cancro mammæ exulcerato observationes Cl. DIETERICH'S Ratisbonæ 1746.

Iterum periodicas convulsiones, a vomitione compescit, BORNAINVILLE, dolores periodicos hemi-craniarum *Vol. I. Act. N. C.* artuum mitigat, febres topicas tollit, spasmos, motus uteri, ventriculi, intestinorum compescit: in podagra etiam SYDENHAMO auxilio fuit, & specificum in podagra laudat HELDIUS *Ephem. N. C.* cent. IV, nuper etiam in Anglia probatum, & multiplici experientia compertum, dum cum vino rubro aliquot diebus sumeretur, prodesse. *Gentleman's Magazine for Septembre.* 1762. & ataxiæ spirituum cum aquis Pymontanis feliciter subvenit; & in phthisi pulmonali iam dudum lau-

davit MORTONUS & probavit TORTI. Hæmorrhagiis nimis etiam medetur. An vi narcotica? ita plures. Corticem coctum filtratum in pilulas coactum, opii vires in sedando quovis immodico fluxu, impetu cordis, & febre suspendenda, strenue æmulari, LINDER de Venenis.

Adhæc in casibus scrophulosis, ad resolvendos, ex laxitate colli, parotidis, aliarumque glandularum tumores, multum recentissimis observatis laudant FORDYCE, FOTHERGILL: tum inveteratis ophthalmiis, ulceribus cutis ab exanthematibus relictis, decoctum mederi, posterior multis observationibus evincit; sed sufficienti dosi continuato usu exhibendum, *Medical observations*. Ignorari ultimo non debet, quod ETTMULLERUS habet, cortice curatas febres, spiritu falsi ammoniaci brevi renovari; & epilepticum puerum quatuordecim annorum, cortice sanatum, vidisse RITTER *Acad. N. C. Vol. X.* etiam ischuriam ex laxitate ortam curasse, MACKENZIE, *Medical observations and inquiries by a society of physicians in London Vol. I.* utique roborat!

PRÆPARATA. *Extractum chinæ chinæ* validum; pulvere debilior tamen *essentia* corticis peruviani.

SIMARUBA *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis desideratur.

Arboris nondum notæ, fatis affinis iuglandi, vel pistachia, cortex, odore nullo præditus, saporis subamari est, decoctus in aqua lactescens, spumescens. Ad nos primo 1713. ex Guiana, ubi in dysenteriis famosus, translatus, 1718. in dysenteriis epidemicis probatus IUSSEUO, ea,

ea, qua in Guiana dosi, non adeo feliciter cessit; movit enim vomitus, sudores incommodos, etiam sanguinis profluvia; correctis vero dosibus, & experientia rerum magistra, salubritatis punctum attigit; adstringens cortex non est, GRASHUIS *Acad. N. C.* & in fluxibus alvi sanguinolentis tantum convenit, DEGENER. *Acad. N. C.*

VIRES MEDICÆ in dysenteria specificæ, si drachmarum duarum pondere in libris aquæ, vel cerevisiæ duabus, ad tertiæ partis remanentiam coquatur, residuum in doses quatuor, una tertia quaque hora propinandum, dividatur: Vel drachmæ semis pondere in pulvere detur. In colica habituali, & dysenterica, drachmam unam, in sex doses dividendam, quarum omnib. horio una daretur, præscripsit feliciter GRASHUIS *Act. phys. Med. N. C. Vol. VIII*, & BONEKEN *eorundem Actorum Vol. II.* hoc remedio dysenterias sex & fluxum hepaticum chronicum & lienteriam sustulit.

TAMARISCI Cortex *Off. Botanicorum. Classis Pauci-stam. Germ. Tamarisken, Gallis Tamaris. Anglis Tamarisk.*

TAMARISCUS *floribus decandris*: Quibusdam in officinis cortex ramorum, in aliis radicis, in usu est, non adeo periculosa, ut videtur, substitutione; fruticis enim cortex recens, grate balsamicus, adstringens, exsiccans est; præter corticem ipsa adhuc radix in usu est.

USUS MEDICUS egregium invenit remedium roborans, adstringens, etiam solvens diureticum, in decocto ab uncia dimidia, ad integram cum dimidia: in pulvere ad drachmam unam in rachitide laudatur; ligno sassafra comparandum putat ETTMULLERUS.



## S U C C I.

ACACIÆ Germanicæ Succus *Off.* vide p. 13. 14.

ACACIÆ veræ succus *Offic. Botanicorum* MIMOSÆ L. Classis Naturalis Incompletarum. *Germ.* Ägyptischer Schlehen-Saft. *Gallis* Acacia. *Anglis* Acacia.

MIMOSA *aculeata, floribus spicatis, legumine laevi, elliptico, compresso:* In massulas coactus, vesicis inclusus succus, non ipse fructus, ex Ægypto ad nos adfertur. Extus fuscus, aut nigricans, intus subfulvus, consistentiæ firmioris, fortem acerbum saporem, saliva quasi coagulata, ore sicco, arido, exerit. Eiusdem arboris productum est gummi arabicum emollientissimum.

USUS MEDICUS in illis casibus, ubi adstringenda vasa, figenda fluida, ut diarrhœis, dysenteriis, sanguinis profluviiis, hæmoptysi, anginis aquosis, utilis; forma, & dosis diversæ sunt: pilularis omni trichorio quatuor quinque granorum: potest etiam pro electuario solvi, mixturis dilui, ad drachmam semis, unam. Externe ad loca laxa firmanda multus chirurgis usus.

CATECHU. TERRA IAPONICA *Offic.* Caunga RHEED MALAB. Classis Naturalis Palmarum. *Germ.* Catechu. *Gallis* Cachou. *Anglis* Catechu.

CATECHU gummoso-resinosus, & inspissatus succus est, ex fructu arboris *Caungæ*, non terra ut in *Acad.*

*Acad. Reg.* 1709. demonstravit BOULDUCC; an purus, an mixtus, & quibus conflatus? adhuc multi disputant; purum esse *Cl. IUSSIEU Acad. des Sciences* 1720. contendit. Foris e rufo nigricans, intus e rubro fuscus, inodorus, saporis primo est adstringentis, tum subamari, ultimo dulcis. Probatum ponderosum, rubrum, splendens, non combustum.

**USUS MEDICUS** in gingivarum laxitate, catarrhalibus defluxionibus inhibendis, compescendis alvi profluvii, utilis. In substantia in ore volvitur, solutus deglutitur in gratiam halitus, & beneficium digestionis, atque id hodie Parisiis familiare. In tabellas, ut gratior sit, cogitur, linctibus admiscetur, additur & electuariis: In nulla forma scrupulosa dosis; in substantia a scrupulo semis, ad drachmam semis, unam, successive datur. Extemporaneus habetur potus, visui & gustui gratus, proficuum diarrhoea, etiam febre biliosa laborantibus, maxime si alias aegri pituitas respuunt, si drachmae duae catechu in unciis quindecim aquae solvantur.

**HYPOCISTIDIS Succus** *Off. Botan.* ASARUM. Classis Naturalis Incompletarum.

ASARI foliis sessilibus, imbricatis, floribus quadrifidis, succus inspissatus, ex Turcia, Creta, Gallia Narbonensi, nobis advectus, fuscus, niger, splendens, aliquid odorati habet, intense amarus, os adstringens, exsiccans est.

**VIRES MEDICAS** adstringentes acaciae succo maiores habet; si partem roborare consilium sit, inquit **GALENUS**, quae videlicet plussculo humore exoluta fuerit, robur, & firmitatem illi non imbecilliter addit; dosis, & exhibendi modus, ut in succo acaciae, eadem.

OMPHACIUM *Offic.* vide P. I. p. 60.

Est acerbæ uvæ expressus succus, in rubro ære, donec cogetur, infolatus olim DIOSCORIDI, hodie liquidior, colatus tantum, & in doliolis asservatus, mensis magis in Galliis, quam officinis notus.

VIRES MEDICÆ ad ulcera oris humida, scorbutica, partes relaxatas firmandas, egregiæ: In navibus contra scorbutum maximus usus est.

SANGUIS DRACONIS *Offic.* DRACO arbor indica, COMMEL: Classis ignota. *Germ.* Drachen-Blut. *Gallis* Sang-dragon, *Anglis* the Dragon's-Blood.

SANGUINIS *draconis* duplex species habetur; una profundissime rubescens, dura, plurimis non referenda menstruis, in spiritu vini rectificato pro maxima parte solubilis, profundo colore & durabili spiritum vini imbuens; hæc vilior pigmentis infervit. Alia in arundinibus allata, saporis est exsiccantis, adstringentis, salivam rubro colore inficiens, & hæc medica est.

VIRES MEDICAS constanti traditione adstringentes, ad sanguinis profluvia, lochia nimia, hæmoptoen, dysenteriam, utiles laudavere. Specificè adstringere adhuc hodie LINNÆUS affirmat, alii innocuum corpus habent; reiteranda igitur experimenta. Dari in pulvere a scrupulo ad drachmam dimidiam, in mixturis ad integram, duas, dilui potest. Multus est ad vulnera externus chirurgis usus. Recentissime aliud gummi adstringens, multum mucilaginosum tamen, & gratum, ex Gambia allatum, externa facie sanguini draconis simile, describit FOTHERGILL. *Medical observations and inquiries by a Society of physicians in London.* T. I.

FUN-

---

 FUNGI MUSCI.

AURICULA IUDÆ *Offic. Botanicor.* TRE-  
MELLA. *Classis Naturalis Fungorum. Germ.*  
Holderchwamm. *Gallis* Oreille de Iudas. *An-*  
*glis* Jews - ear.

**T**REMELLA *cyathiformis labio altero inflexo, res-*  
*pando:* ex lignis antiquis, præsertim vero sambu-  
cinis, hic excrefcit fungus, officinis servatus, licet non  
multum adhibitus.

VIRES MEDICAS exsiccentes, adstringentes,  
in ophthalmia, incipiente inflammatione, angina, exi-  
mias de eo prædicat hodie dum LINNÆUS. Præscri-  
bitur in decocto uncia dimidiæ pondere.

CREPITUS LUPI *Offic. LYCOPERDON.*  
*Botanicorum. Classis Natur. Fungorum. Gal-*  
*lis* vesse de Loup. *Germ.* Pofist. *Anglis* Bullfist.

LYCOPERDON *subrotundum, laceratum, deli-*  
*scens,* iam antiqui in Germania ad sanguinis eruptiones  
usus, externe dissectis arteriis, ruptis vasis, felici cum  
successu applicatur, experimentis de novo in *Trans-*  
*Philosoph.* T. XLIX. tentatis.

FUNGUS IGNIARIUS *Offic. BOLETUS*  
*Botanicorum. Classis Naturalis Fungorum.*  
*Germ.* Zunderschwamm. *Gallis* Agarie. *An-*  
*glis* Agaric.

BOLETUS *acaulis, pulvinatus, laevis, poris te-*  
*nuiſſimis:* BROSSARDI Chirurgi Galli, ad compescen-  
das in aneurismatibus, & amputationibus hæmorrha-  
gias,

gias, arcanum, LUDOVICO XV. emptum. Colligendus hic Boletus mensibus augusto & septembri, ficcandus: caro dura filamentosa a cortice villoso separanda, mallei ictibus mollissima reddenda, sic demum vulneri superponenda; huius remedii laudem vide in *Acad. de Chirurgie* T. II. III. *Transf. Philosoph.* Tom. XLIX. p. 28. Vituperium apud Cl. NEALE. Nosocomii Londinensis Chirurgum, in opere *Some observations on the use of the Agarici and its insufficiency in stopping hemorrhages after capital operations.* London. 1757. Tamen etiam scire iuvat, curiosius in vase vitreo clauso asservandum fungum esse, MORAND. *Acad. de Chirurgie* T. III. & fungum vinosum eiusdem virtutis esse *Transf. Philosoph.* T. XLIX. experiente chirurgo FORD.

FUNGUS MELITENSIS *Offic. Botanico-*  
rum CYNOMORIUM. Classis Naturalis  
Fungorum.

CYNOMORIUM. Non omnibus adhuc receptus officinis hic fungus, est parasiticus, lentisci, myrti, halimi, radicibus enascitur, in illis maxime regionibus, ubi hæ arbores felicissime vigent, ut in Melita, Sicilia. Planta siccata rubra est, ut etiam ex recenti expressus succus. Sapor amaricans, stypticus, linguam adstringens, cum austeritate mucilaginoso. BOCCONE *Mus. di Pianti.*

VIRES MEDICÆ adstringentes roborantes eximæ, in pulvere scrupuli unius, ad drachmam, pondere exhibitæ laudantur; in hæmorrhagiis, & aliis omnibus profluvii sanguineis sistendis, specificæ L. sunt, *Institut. Bononiens.* etiam confirmatæ; in venereis urethræ ulceribus decocto usus DEIDIER, in dysenteria syrupo vel pulvere, vix unquam fallente successu alii,

LIN-

LINNEUS *de fungo Melitensi. Amoenitatum Acad.*  
Vol. IV.

LYCOPODII semen *Offic. Botanicorum* LY-  
COPODIUM. Classis Naturalis Cryptan-  
therarum, Ordo Muscorum. *Germ.* Löwen-  
fus-Saamen. *Gallis* Pied de Loup.

LYCOPODIUM *caule repente, foliis patulis,*  
*pedunculis spina gemina terminatis.* Ipsum leniter ro-  
borat, & adstringit, pectoris morbis utile, etiam cal-  
culosis, plica polonica laborantibus.

Pulvis tenuissimus, æquabilis, ad involvendas pi-  
lulas commodus, etiam aliquibus antihecticus habetur,  
ETRMUL. tum diureticus, antiepilepticus, *Ephem.*  
N. C. Anno III. Intertrigini, ulceribus madidis, etiam  
medetur inspersus, valet etiam ad erysipelas.

MUSCUS CANINUS *Offic. Botanicorum*  
LICHEN. Classis Naturalis Cryptanthera-  
rum. Ordo Algarum. *Anglis* Ashcoloured  
ground liverwort.

LICHEN *foliaceus, repens, lobatus, obtusus,*  
*planus, subtus venosus, pelta marginali ascendente:*  
in hydrophobia, & rabie specificus, divulgante  
HANS-SLOAN. *Anglis* inde multum in usu in pul-  
vere antilyssio MEAD, qui DAMPIERI præscriptio-  
nem vitiavit *Transact. Philosoph.* Nro. 443. dum par-  
tes inæquales sumeret, scilicet huius lichenis partes  
duas, piperis unam: dosim MEAD facit drachmam,  
unciam semis HARTLEY, solius lichenis pulverati do-  
sim scrupulos quatuor HANS-SLOANE. *Phil. Transf.*  
Nro. 237. sed sæpe fefellit.

MUSCUS

MUSCUS CUMATILIS *Offic. Botanicorum*  
 LICHEN. Classis Naturalis Cryptantherarum.  
 Ordo Algarum.

LICHEN *foliaceus, repens, lobatus, obtusus, planus, verrucis sparsis, pelta marginali ascendente; drasticam vim habere, & aphthis, & vermibus mederi, plurimis locis LINNÆUS, dosim non addens.*

PULMONARIA ARBOREA *Offic. Botanicorum* LICHEN. Classis Naturalis Cryptantherarum. Ordo Algarum. *Germ. Lungenkraut. Anglis Spotted Lungwort.*

LICHEN *foliis oblongis, divisis, superficie reticulato-punctata, in fagis, & quercu habitans, thoracicus est; in phthisi curanda usum præstasse LINNÆUS, qui & in ictero, & tussi laudat.*



---

 EX MINERALIBUS
 

---

## PETRIFICATA.

OSTEOCOLLA *Offic. Mineral.* RHIZO-  
LITHUS. Classis Petrificatorum. Ordo Ve-  
getabilium. *Germ.* Beinbruchstein. *Gallis* Osteo-  
colle. *Anglis* Bone-Binder.

OSTEOCOLLAM esse radices arborum putrefa-  
ctas, terra calcarea, sabulo, mediante aqua im-  
prægnatas, GLEDITSCH: caules, scapos plantarum,  
marga & arena incrustatos, GUETTARD. *Acad. des*  
*Sciences* 1754. contendunt. Terra ipsa calcarea alba  
cum acidis effervescebat MARGGRAF *Acad. de Berlin.*  
dat cum acido nitri phosphorum Balduini, IDEM, tum  
destillata, liquorem omnes proprietates liquoris urinosi  
habentem, IDEM, nec inventa sunt in osteocolle ea,  
quæ NEUMANNUS prodidit principia, nec osteocollæ  
oleum petroleo simile inesse deprehensum. Est verus  
stalactites margaceus, GUETTARD. l. c.

VIS MEDICA adstringens LINNÆO, alia aliis  
haud repetitis experimentis, adscripta, tamen specifica  
dicitur ad fluorem album.



TER-



## TERRÆ.

BOLUS *Offic. Mineralogiae.* Classis Naturalis  
Terrarum. Ordo terrarum pinguium. *Germ.*  
Fett-thon. *Gallis* Bolus. *Anglis* Bole.

**B**OLUS, Terra sigillata, eadem historiæ naturalis  
scriptoribus significant, & est argilla pinguis, ore  
liquefcens.

PROPRIETATES quod spectat, est ad attactum  
mollis, attenuata, pinguis, igne lapidescens, in vitrum  
redigenda, acido vitriolico, & substantia pingui mi-  
nerali constans, terra martialis: Ita fere omnes dixere:  
nuper vero, quod hæ terræ nec destillatione, nec de-  
coctione cum aqua, acidi vestigium præberent, neque  
cum lixivio alcalino coctæ, aut cum ficcis salibus al-  
calinis mixtæ, & per aliquod tempus in crucibulo igni-  
tæ, elixiviatæ, tartarum vitriolatum exhiberent, an  
coloratæ terræ bolares acidum vitriolicum continerent,  
dubitatum fuit, *Comment. varii Argumenti germ.* 1759.  
Addi adhuc posset adstrictionis sensum, quem in os  
assumptæ facere solent, vi absorbenti potius terræ, quam  
adstringenti alteri acido principio deberi.

Cæterum huius multæ species sunt, ut bolus *alba*,  
qualis *moravica*, *rubra*, qualis *armena*, *bohemica*,  
*carnea*, ut terra *lemnia* &c. *cinerea*, *flava*, quæ & *axun-*  
*giæ lunæ*, & *solis* dicuntur.

Veteribus æstimatissima fuit terra *lemnia*; hodie dubi-  
tari merito potest, an nostra terra *lemnia* sit terra *lemnia*  
veterum, cum *lemnia* *sphragis* impense rufescere debeat  
GALENI testimonio, nostra tantum *carnea* sit. Estne  
bolus

bolus armena, quæ nobis hodie maxime laudatur, terra lemnia veterum?

**VIRES MEDICÆ** boli armenæ vel terræ sigillatæ rubræ, exsiccantes sunt, plasticæ, in diarrhœis, dysenterîis putridis, phthisi pulmonali, humorum dissolutionibus, catarrhosis defluxionibus, admodum utiles. Corpus, medicamentum hoc, non turbat, unde scrupulose dosis definiri non debet, in pulvere drachmæ semis, unius, pondere, unius, vel duarum in mixtura, unciæ etiam unius aquæ libra una emulsæ, addito syrupo cochlearum exhiberi potest. Non minor externus eius usus est: locis excoriatis, ulceribus humidis manantibus aspergitur, adhæc additur unguentis, emplastris &c.

**CRETA** *Off. Mineralogorum.* Classis Naturalis Terrarum. Ordo Terrarum Macrarum. *Germ.* Kreiden. *Gallis* Craye. *Anglis* Chalk.

**CRETA** cohærens solida W. Farinosa, & sicca substantia, calx fossilis & nativa fere, cum sale ammoniaco trita, & destillata, calcis vivæ proprietates habet; cum tartaro, qui vix, & in aqua ebulliente tantum solubilis, cocta, illi salium alcalinorum solubilitatem conciliat. Adhæc inflammabile quoddam in se principium habet, quod etiam boracem colore flavo tingat, & ex vitro Antimonii & Plumbi, Antimonium, & Plumbum reducat, *POTT. Lithog.* sed & urinosi non parum continet *HIERNE Tent. IV.*

Cæterum Creta acido vitriolico non solvitur, sed ab hoc in aliis acidis soluta præcipitatur, valida igne calcinata in calcem redigitur, cum vitrescibili fluxu fusa in vitrum cogitur. Ope cretæ aquam marinam potabilem *Crantz M. M. T. II.* D redde-

reddere, docuit in *Comment. Societ. scient. Harlemens.* P. II. Cl. ALLEMAND, quatuor pintis aquæ marinæ, cretæ unciam unam addendo, obtinuit quatuor quintas aquæ potabilis, melioris ea, quæ calce pararetur.

USUS MEDICUS cretæ internus, quod in passam irresolubilem cum tenaci ventriculi mucosæ concreta, vix multus, tamen ubi acidum peccat certus, maxime vero in Dysenteria acida, quam domat, dum alvum simul adstringit, utilis vel forma pulveris vel mixturæ, vel demum decocti.

Externus vero maior est, in ulceribus laxis, humidis, quæ siccant, stringit absumpto humido, puncta contactuum fibrarum solidarum augendo.

RUBRICA FABRILIS. vide *Veneta.*

TERRA SIGILLATA alba *Off.* quæ plerumque melitenfis, turcica, licet forte moravica nostra huic haud inferior sit, etiam bolus alba vocatur.

USUS MEDICUS boli idem.

## M I N E R Æ.

Substantiæ terreæ, lapideæ, sale, sulphure, semimetallo, vel metallo imprægnatæ, MINERÆ dicuntur: unde etiam in quatuor has classes: primo Salia, secundo Sulphura, tertio Semimetalla, quarto Metalla, vere distribuuntur. Quibus unius quam alterius principii plus inest, ea ad classem potioris relegantur.

ALU-

ALUMEN CRUDUM *Off. Mineralogorum.*  
 Classis Minerarum. Ordo Salinarum. *Germ.*  
 Alaun-Schiefer. *Gallis* Alun. *Anglis* Alun.

ALUMEN lapide fissili mineralifatum W. Confusa admodum apud veteres aluminum historia nostro satis evidens ævo est, quod a vitriolis repurgata. Alumen, quo utimur in communi usu, duplex est, idque, vel album penitus, vel colore rosaceo conspicuum, utrumque factitium, artificiiis Actis Gallicis, & Anglicis rite descriptis; hoc alumen crudum, illud alumen Romanum, rochæ, rupeum, quod ex marmore rubicundo factum, vocatur.

Primum aluminis principium manifestum, vitriolo, sulphuri, idem acidum vagum esse, quotidiana in Anglia experimenta docent, chemica confirmant, & Suecicæ mineræ demonstrant: Ita ex uno & eodem lapide Suecicæ, alumen, vitriolum, sulphur, minium, ex alio Angliæ, alumen, vitriolum, sulphur, *Philosoph. Transf.* Nro. 21. Quomodo vero facili experimento terra aluminis, in vitriolum converti possit, docet *Mem. de l'Acad. des Sciences* 1744. GEOFFROY. Alterum obscurum magis, adhuc hodie disceptatum, cur? quod simplex, & unicum velint; quo fundamento? ipsi ignorant. Non esse pure calcareum, nec cretaceum NEUMANNUS, bolo simile BOERHAAVE, ex fistulis tabacariis, ut & lapide calaminari BERRI alumen fieri GEOFFROY Junior, ex schisto marmore rubicundo L. Terram hanc nec cretaceam, nec calcaream, post longos labores MARGGRAF *Acad. de Berlin* 1754. pronuntiavit. Sed specificam alcalinam argillaceam. *Script. Chem. Germ. edita Berolini* 1761.

Ut in officinis est alumen informis massæ, crystallos suas non exhibet, quas octoedras nonnulli dicunt, dum alii aliter inveniunt: alumen crystallos albas ad hunc modum figuratas LISTERO & aliis dedit; nimirum bis figura paululum compressa est, ex altera parte, quasi vertice dicas, planum sexangulum habet, ex altera & opposita parte, sive basi, plano similiter sexangulo infidet; cuius autem latera claudunt tria sexangula plana, quibus alternatim bina plana quadrangula interponuntur; ita quælibet integra aluminis crystallos, ex undecim planis conficitur, quinque sexangulis, & senis quadrangulis.

Alias aluminis proprietates quod spectat, si peculiare quorundam locorum excipias, Romanum enim plus de sale marino, Suecicum, Anglicum plus de vitriolo participant, *Acad. des Scient.* adstringentissimum alumen, gustu glaciale, in aere aperto siccum manet, decies quater aquæ pondus, ut solvatur, requirit, solum terram indissolubilem relinquit, igne liquefcit, spumat ut nitrum, lac, sanguinem, coagulat, sed syrupum violarum non mutat.

USUS in vita humana multifarius: marior, fimbrias aureas, argenteas, dealbat, colores lanarum, ferri corum firmat, Morvas pisces durat, Chartariis, scriuariis, anatomicis, historiæ naturalis studiosis, multum in usu, adhibetur etiam pigmentis, magisteriis, clarificandi scopo in officinis; est etiam ex alumine pyrophorus pulvis.

USUS MEDICUS non spernendus, ubi a maiori humorum affluxu debilitatæ partes contrahendæ; ita in initio inflammationis oculorum, cum albumine ovi probe agitatum, addito aquæ rosarum momento laudatur,

datur, confirmato malo proscibendum: tum & ad putrescentia ulcera, tenui ichore madida, ulcera alia mala carne luxuriantia, vi stypteria prodest. Sic & medetur vulneribus sanguinem fundentibus copiosius. Maximus externus usus est, isque in dentifriciis adhuc malus. Interne alumen draconifatum, aluminis unciis duabus, sanguinis draconis subtilissime pulverisati uncia una, aqua cardui benedicti solutis, crystallifatum, scrupuli unius pondere ad omnia sanguinis profluvia, maxime muliebria, exhibuit feliciter MUNSICHTUS.

Alumen cum sanguine draconis in cochleari ferreo fufum, in pilulas redactum, in iisdem casibus HELVETIUM non sefellit: in pulverem redegit ultimo THOMSON, & in maximis hæmorrhagiis omni hora drachmam semis exhibuit, quin etiam in fluore albo enixe laudat. *Society of Edimburgh* T. IV. Cur hodie abstinetur? nauseas molestas fecit, quas exigua cinnabaris portio medicamento addita compefcit, MALOUIN, anodyna ipse HELVETIUS miscuit. In colica pictonum, ubi motus intestinorum peristalticus admodum debilis est, vel etiam deficit, expertus laudat Cl. GRASHUIS. Serum lactis aluminosum in hæmorrhagia uteri & in diabete valet.

Alumen *ustum* difflata per ignem parte aquea acrius, ad erodendam luxuriantem carnem chirurgis utile.

VITRIOLUM *Off. Mineralogorum.* Classis Minerarum. Ordo Salinarum. *Geru.* Vitriol. *Gallis* Vitriol. *Anglis* Vitriol.

VITRIOLUM, seu CHALCANTHUM, quasi æris efflorescentia, atramentum futorium, quod eo

nigro colore coria inficerentur, latinis dictum, duum præcipue generum est, *Ferri*, & id viride, *Cupri*, & id cæruleum, licet etiam a Cupro vitrioli ferri color sit KUNCHEL: datur tamen & album, & id utrumque metallum, sæpe & plumbum, zincum, & terram calcariam continet. Quod ex minera plumbi montis Rammelii habetur album, utrumque metallum, copiosam terram zinci, plumbi nihil, habet Cl. POTT. *Miscell. Berolin.* T. VII. Sunt adhuc aliæ ratione colorum, huius differentix: *Ferri viride, cubicum, Cupri cæruleum, dodecaedrum LINNÆO*, album oblongum definitur. De alumine, vitriolo, sulphure, vide experimenta *Transact. Philosoph.* Nro. 103.

Primum Vitriolorum principium *acidum vagum*, secundum *glebam metallicam*, tertium *aquam*, omnia experimenta, ut sint notissima, evincunt; diversa tamen horum in diversis proportio deprehenditur, maxima semper aquæ, & quæ ut videtur absque destructione ipsius vitrioli minui non possit; vitriolum ferri, hypocausto calido expositum, calcinatur, suamque destructionem, subtilissimo acido totum replente locum, etiam experimenti ignaro, indicat. Quin quasi sitiens aquam, hac orbatum corpus, salium alcalinorum in morem attrahit, & bibit. Caput mortuum, destillatum oleum vitrioli, aquæ vel maxime bibula sunt. Ex colcothare ficcissimo, aeri exposito, rursus phlegma, spiritus obtinentur: iterum oleum vitrioli concentratissimum, ut in crystallos concreseat priori sali similes, in aere brevi liquefcit, LEMERY, vulgare aeri expositum libero, triplo plus quam ante ponderat, HOFFMANNUS. Sed & id acidum omnium cognitorum ponderosissimum, licet etiam in sinu terræ; & in aere iam fluidum reperiatur tum omnium efficacissimum, licet

licet aqua non dilutum non agat: oleum glaciale vitrioli, ferrum non solvit. Sed cur ex calcinato, calore folis, vel cubiculi, vitriolo, spiritus longe subtilior? GELLERT: cur aqua in colcothar ex aere rapitur? cur hac oleum per furtum imprægnatur? Hodie ratio inventa est, & causlico debetur.

Et nunc quidem, hoc invento, merito quæritur, an vitrioli acidum, quod & acidum *vagum*, *universale*, *catholicum*, *primigenium* sit, de quo recentiorum nemo dubium iniecit, donec ad arcana naturæ natus egregius Vir MEYERS quæstionem detecta acidi pinguis, seu caustici natura proponeret, inque contrariam sententiam, argumentis non paucis, nec debilibus impulsus inclinaret.

I quidem copiam acidi vitriolici, aut sulphurei non sufficere.

II oleum tartari aeri expositum etiam causticum ex aere attrahere,

III acidum pingue de omnibus proprietatibus trium acidorum mineralium participare, aut potius ipsam acidi pinguis naturam tribus mineralibus acidia impressum esse;

Quæ quidem omnia in ipso Auctore latius deducta, legi merentur, dum ad demonstrationem secundi in vitriolo principii transeo.

De existentia vero glebæ metallicæ in vitriolo, res adeo plana est, ut experimentum dici non debeat, quin in ipso vitrioli oleo claro tentamine HIERNE evicta sit; dum enim sumpisset vitrioli venerei spiritum, huncque minio superfudisset, addidissetque ultimo spiritum urinæ, vidit vitrioli spiritum, cæruleum illico induere



colorem, & similis coloris sedimentum supra minium deponi; in alio experimento ferrum supra minii superficiem nigro colore præcipitatum, dum spiritum vitrioli martis adhibuisset. Testis quoque est *Cl. HELLOT Acad. des Sciences 1738*, vitrioli glaciale oleum in aqua destillata solutum, septem, octove dierum spatio digestum, sedimentum floccosum dimittere, quod magno calcinatum igne a magnete demum traheretur, & quod cum cera vel inflammabili alia substantia recalcinatum, purum exhiberet ferrum *MACQUER Chymie*. An inde datur ratio, cur longe fortiori igne vitrioli oleum solum obtineatur? cur id ponderosissimum sit? cur spiritui vitrioli nunquam substitui debeat etiam aqua dilutum? hic enim, ut volatilior sic purius continet acidum leviori vi expulsum: an inde quoque ratio patet, cur spiritui potius substituendum sit vitrioli phlegma? quod & volatile sit, & fugacissimam acidi portionem, minime metallica vitiatam habeat: an inde adeo celebratus recentis vitrioli phlegmatis in mania, Epilepsia usus *CNOEFFELIO*? spiritus vitrioli volatilis in morbo herculeo, *PARACELSO*? debet vero odore esse volatili, nares instar spiritus salis ammoniaci ferire, non fixatus esse, qualis in officinis invenitur.

**PROPRIETATES** quod spectat, vitriola crystallos habent ficas, polyedras, & quidem vitriolum ferri cubicam, stypticam, cupri dodecaedram, rhomboidalem depressam, saporis horrendi: igne instar aquæ funditur, calcinatur demum vitriolum. Solutio syrupum violarum subviridi colore inficit, sublimati corrosivi solutionem non turbat, gallarum infusionem in atramentum commutat. Acidi eius etiam singulares dotes sunt; fluidorum ponderosissimum, aquæ vel maxime bibulum, vicissitudinibus

nibus aeris mobile ut spiritus vini, frigore condensatur, calore liquefcit, omnia alia acida ex aliis corporibus expellit, &c.

USUS MEDICUS, vitrioli *martis* artificialis, non naturalis, ne illi cuprum commixtum fit, interne rarus, ad vermes, tum ubi austera roborans vis ferri requiritur, laudatus, drachmam dimidiam, unam, in libra aquæ dilutam, cavendo omnem acrimoniam alcalinam, aut alcalium, & adstringentium assumptionem, imperat. Externus, ubi adstringendum, cohibendus pruritus, in pulvere, fomentis, linimentis, frequentior.

*Album* ad compescendas vulnerum hæmorrhagias utile, vel in globulos, qui vulnere intrudantur, fingitur, vel meraca solutione applicatur, repellentis scopo etiam collyriis parca dosi iungitur; interne drachmæ semis pondere vomitorium est certum, in casu assumpti veneni solum administrandum.

*Caeruleum* etiam minima dosi efficax, & si non ita contemperatum, ut nocere non possit, ventriculum rodit, est enim verus lapis infernalis, quo caneros venereos chirurgi etiam exurunt; ubi vero ita dilutum est, ut stimulo suo nocere non possit, in manu periti, heroicum contra epilepsias, manias &c. remedium *Illustr.* L. B. VAN SWIETEN habetur, & specificum tale antiepilepticum hac præscriptione conficitur, in *novis Actis* Acad. N. C. T. I. vitriolum cupri aqua pluvia solvatur, filtrato adde spiritum salis ammoniaci aquosum, concentratum, cum sale tartari factum, ad punctum saturationis: post tempus adde spiritum vini rectificatis: crystalli saphirinæ, mediante

D 5

charta

charta bibula separandæ, ferventur ab aere, in vitro bene clauso: dosis granorum duorum, trium, infantibus, quatuor; quinque, adultis; quandoque vomitus, quandoque sequitur secessus. Spiritus vitrioli veneris, inunctus clavis pedum, bis ter de die, superposito post duodecim horas emplastro de gummi ammoniaci cum euphorbio, eos tollit, *Ephem. Decad. 3.* anno 7. 8.

PRÆPARATA varia sunt, ex vitriolo martis omnia. Destillationis beneficio, primo, quod facile dimittitur, *Phlegma* vitrioli obtinetur, in morbis putridis, biliosis, ad gratam aciditatem, potulentis, mixturis additum. Tum *Spiritus*, in eandem indicationem laudatus, in dissolutione humorum, variolis confluentibus, dilutus utiliter datur, non solum usque ad plenam pustularum eruptionem, sed & in febre secundaria, *Cl. TYSSOT de variolis*, nec exigua dosi, si quidem drachmas duas larga aquæ quantitate dilutas, & syrupo edulcoratas intra trihorium, etiam uncias duas intra quadraginta horas exhiberet. Oleum vitrioli seu dephlegmatus vitrioli spiritus, causticum externum, minori dosi interne dandum, atque tum adhuc in aquosis suspectum *CARTHEUSER. Comment. varii Argumenti germ.* quod iam dudum *HIERNE* contra *KUNCHELIUM* monuerat. Post destillationem relictum caput mortuum, *Colcothar* vocant, chirurgis multum in usu, adstringens est, sunt qui etiam antisepticum habent. Ex colcothare sal elicitur subviridis, emeticus, *Gilla THEOPHRASTI*, hodie non amplius adhibita, residuum *terra* vitrioli dulcis est. Vitriolum Romanum sub cane radiis solaribus calcinatum, pulvis sympatheticus *DYGBAEI* habetur: Item ex terra aluminis & particulis metallicis vitrioli viridis, per sal alcali,  
cui

etui principium inflammabile ope ignis iunctum fuit, præcipitatis, fit *Caeruleum Prussicum*. MENON, *Memoires de Mathematique, & de Physique par divers scavans* 1750. Paris.

COMPOSITA. Calcanthi acidum diversa alcoholi proportione, iunctum, diversisque encheiresibus dulcificatum, nomina omnino diversa habuit, & quidem

I. AQUA RABELLII quam & alii sub nomine liquoris DEMOCRITI cognoscunt, nonnulli etiam acidum DIPPELLII vocant, nihil aliud est quam simplex partis unius olei vitrioli purissimi, & Partium trium alcoholis optimi, digestionis & circulationis interveniente beneficio, mixtura, ita LEMERY *Chymie*, MACQUER *Chymie*; licet non consentiant TOURNEFOR *in Laborat.* SNAT *Cour de Chymie*, ASTRUC *de morbis veneris*: & hi quidem duo posteriores RABELLII aquam elicitem destillatione liquorem esse volunt, hinc spiritum vitrioli dulcem, qualis est nostris in officinis prostant liquor anodynus mineralis.

Nunc vero clarum est discriminandas virtutes medicatas esse, quas diversis his liquoribus Cl. viri adscripsere, nec eas uni convenire aquæ Rabellianæ posse. Mixturam simplicem non destillatam diuresim movere, vomitum & alvum sistere, etiam hæmoptoicis convenire dosi guttarum quatuor ad decem LEMERY *Chymie*. Cl. CARL in podagra, arthritide, nephritide summopere recommendat, ut & SCHULZE *in dissert. an dentur medicamenta, quæ calculum in vesica confringant?* 1734. & HUMMEL *in dissert. de arthritide*

tide tam tartarea quam scorbutica 1734. Hi viri vero Part. IV. VI. VIII. spiritus vini rectificatissimi immiscebant olei vitrioli Part. I. additis simul diversis vegetabilibus resolventibus, balsamicis, diureticis egregiarum virium *POTT de acido vitrioli vinoso.*

"Mixturam vero aliam ex priore simplice, destillatione obtentam & quæ non est proprie aqua *RABELLII* priorum, sed *SNAT, ASTRUC*, hic laudat sipticam in hæmorrhagiis, & hæmoptysi, paregoricam, diureticam, tum in febribus ardentibus & intermittentibus egregiam; adhæc in vomitu & ructu mirabiliter operari ait, sistere etiam gonorrhæas ptisana cum ea acidulata. Eadem fere *ASTRUCIUS* repetiit, & laudat in hæmorrhagiis quibuscunque, febribus ardentibus, instillatam vehiculo ad gratam aciditatem, & ptisanis refrigerantibus, quæ in initio gonorrhææ præscribuntur, maxime si dischuria nimis discruciat. Sed an hæc acida est? an refrigerat spiritus vitrioli dulcis?

**II. SPIRITUS VITRIOLI DULCIS,**  
 feu **LIQUOR ANODYNUS MINERALIS** multarum officinarum ex prioris mixturæ destillatione confectus exurgit ex duobus liquoribus prima sese destillatione excipientibus scilicet spiritu vini aromatico vix non puro & spiritu vini gratiori fragrantiori acido vitrioli iam aliquantulum alterato commixtis; ita fere omnes officinæ parant, & quæ non exacte attendunt hos adhuc acida & sulphurei odoris aqua tertio demum loco prodeunte plurimum debilitant. Inde est quod vitrioli dulcis spiritus seu liquor anodynus mineralis manifestam aciditatem aliquibus in officinis habens fragrantiam minorem, minime fit probandus, & super alcali rectificandus aut quod melius est post aliquot

quot dierum cum alcali digestiones, concussiones, cohobandus: sic enim iterum purior spiritus odore elegantiori aromatico & fragranti prodit P O T T.

Quantquam vero prima vice summa exactitudine paratus sit, nec saporem manifeste acidum habeat, occultam tamen suam aciditatem docent, florum Cyani ab hoc rubor, Mercurii ex spiritu nitroso in flavum turpethum præcipitatio, & cum salis ammoniaci vinoso spiritu exurgens sal ammoniacum secretum, cuius tamen ne vestigium quidem obtineas cum eodem vitrioli dulci spiritu prius cum alcali digesto, abstracto cohobato P O T T. Cæterum corpora resinosa & alia compactiora, quæ soli spiritui vini alias pertinacius resistunt, huic victas dare manus coguntur: & solvit Gummi Copoal, Myrrham, Ambram etiam bituminosum succinum.

VIM MEDICAM si spectes, est spiritus fragrans, aromaticus, calidus, carminativus, anodynus in doloribus spasticis ventriculi intestinorum a causa frigida utilis, speciatim in nausea & vomitu: in convulsionibus, hysterica passione, epilepsia a dentitione & plurimis aliis. Infantibus ad guttas sex datur a viginti ad triginta adultis; cum Ballamo vitæ mixtus singulum momentanee auferre solet, si inflammatio nulla subsit; sunt qui etiam cum spiritu salis ammoniaci vinosi, sunt qui cum spiritu tartari in alias indicationes miscent cum aliis medicinis. Ambra, quam probe in calida digestionem solvit gravidum, in gonorrhæa habituali & contumaci dosi IV. VI. VIII. X guttarum datum prodesse ASTRUCIUS dicit, succino vero, quod etiam totum solvit divitem in fluore albo dosi guttarum viginti triginta.

III. SPI.

**III. SPIRITUS NAPHTAE** est proprie secundum destillationis productum vini nempe spiritus gratior fragrantiorque vitrioli acido alteratus; præcedenti quidem subtilior, cum æthere tamen non componendus. Spiritum acidum vitriolicum vinosum **POTIUS** vocat.

**USUS** prioris dosi guttarum X, XX.

**IV. AETHER** quem & alii Naphtam simpliciter vocant aut etiam Phlogiston **FROBENII**, tertium est destillationis productum limpidissimum fragrantissimumque admodum inflammabile & volatile.

**PROPRIETATES** quod spectat ex omnino mirabiles sunt; rerum omnium cognitarum levissimus æther se ad alcohol habet :: 1 : 1,002 & ad aquam :: 1 : 1,114; fugacissimus manui instillatus frigoris sensum imprimat & illico in aera absque ullo humiditatis relicto vestigio rapitur, spiritui vini inflammabilior electrico igne inflammatur & flammam e vicinia eripiens fere absque fuligine deflagrat; Resinosarum unicam & adæquatam menstruum, verum eos colorem, odorem, saporem ex vegetabilibus extrahit, nec aquæ nec spiritibus acidis vel fossilibus vel vegetabilibus miscetur, hinc etiam aquæ instillatus & accensus super eam ardet.

**USUS** in morbis vasorum minimorum ut in Epilepsia, Hysterica passione, Paralyfi, Rheumatismo, Podagra, etiam hodie plurimum laudatus, dosi guttarum III ad VIII.

**V. NAPHTA VITRIOLI** seu **OLEUM VITRIOLI DULCE** etiam Quinta Essentia vegetabilis

bilis aliis dicta, Oleum æthereum est ex eadem mixtura destillatione post phlegma acidum sulphureum, elicatum, quod modo aquæ supernatat & limpidum est, modo fundum petit, & diversi coloris aut flavescens, aut viridiusculi visitur.

**PROPRIETATES.** Est oleum hoc penetrantissimum, sulphureum, fragrans, fugacissimum admodum inflammabile in spiritu vini solubile, aquæ non miscibile: diutius asservatum diaphaneitatem amittit, rubedinem contrahit, & acidum corrosivum evadit, quod cum alcali commixtum aperte effervescat, ab eo vero abstractum nec amplius rubescat nec acidum evadat nec mercurium, aut argentum rodat. **P O T T.**

**VIRES** anodynæ summæ in doloribus spasticis & arthriticis, eas in medendo sibi notissimas fuisse testatur **H O F F M A N N U S**, ut inde multi suspicentur verum & genuinum liquorem anodynum mineralem **E I U S D E M** viri hoc divitem oleo fuisse, constare igitur spiritu vitrioli dulci, vitrioli dulci oleo liquorem anodynum mineralem. Veniunt etiam in hunc censum

**VI. GUTTÆ** Generalis de **L A M O T T E** antipodagricæ. Constituuntur spiritu naphthæ solutum tenente aurum. Dosis spiritus naphthæ.

**VII. LIQUOR MANCHINI.** Sub hoc nomine habetur spiritus naphthæ solus vel supra remanens caput mortuum prioris destillationis digestus, abstractus, coloratus; nonnulli etiam simplicem liquorem anodynum cum portione capitis mortui digerunt denuo distillant: alii alia addunt. Dosis ex præcedentibus facilis.



Cæterum *Cl. BAUME* qui & optimam dissertationem de æthere conscripsit, hoc ordine destillationis producta recenset: *I.* Spiritum vini non alteratum. *II.* Spiritum vini aromaticum acido vitriolico alteratum. *III.* Ætherem. *IV.* Phlegma acidulum. *V.* Primum acidum sulphureum volatile. *VI.* Oleum dulce Nro. *IV* & *V* supernatans. *VII.* Oleum citrinum ponderosius fundum petens. *VIII.* Secundum acidum sulphureum. *IX.* Oleum vitrioli nigrum spissum sulphureum. *X.* Sublimatum sulphur. *XI.* In fundo cucurbitæ bitumen.

*VIII. TARTARUS VITRIOLATUS* vel ex sale alcalino, & spiritu vitrioli, vel ex alcali puro, & vitrioli martis paratur, secundus Tachenianus dicitur: Sal medius est, satis vehementer movens, incidens, a granis decem, quindecim, ad triginta pro dosi exhibendus.

*IX. ARCANUM DUPLICATUM* acido vitrioli, & basi fixa alcalina nitri, operatione non semper exacta conficitur. Notabile est discrimen inter arcanum duplicatum, quod ex nitri destillatione cum vitriolo fit & illud, quod cum oleo vitrioli conficitur; docet in crystallis observanda diversitas. Dosis præcedentis eadem, vel paulo maior.



SEMI-

## SEMIMETALLA.

FLORES ZINCI *Offic. Mineralogiae.* Classis

Præparator: Ordo semimetallicorum.

**ZINCUM** sulphure, plumbo, ferro, mineralisatum, particulis micantibus, fuscum, arsenici vix aliquid continens POTT contra IUSTI in Send-Schreiben Berlin. 1760. hos flores largitur, fixos, non volatiles amplius, SCHWEDENBORG, interne nunquam, externe sæpe præscriptos, in ulceribus, lippitudine; in posteriori casu in aqua rosarum pro collyrio adstringente dat *Illustr.* L. B. VAN SWIETEN, in intertrigine específicos habet LINNÆUS, in excoriationibus, fissuris papillarum, laudat BARBETTE.

## METALLA.

FERRUM. CHALYBS. *Offic. Mineralogiae.*Classis Minerarum Metallicarum. Ordo ferrearum præparatorum. *Germ.* Stahl. *Gallicis* Acier. *Anglis* Steel.

**FERRUM** durissimum & purissimum, ad silicem scintillans, W. acies, stomoma, chalybs. An detur naturale, malleabile, *Historiæ Naturalis* scriptores multum disputarunt, hodie res plana est. Tamen in usus nostros omne, præter id, quod in aquis medicatis natura exhibet, præparatum est, præparatum in aciem verti potest, omnium optime docente de REAUMUR. Cur multis plantarum succis, vegetabilium cineribus, coralliis, ipsis animalium partibus, ossibus, sanguini, castoreo, & extracto subtilissimo florum melli, inest ferrum magnete conspicuum? Experimenta adsunt, ratio deest.

*Crantz. M. M. T. II.*

E

Ten.

Tentamina vero, quibus præsentia Ferri in corporibus latitantis expiscatur, vel magnete instituuntur in siccis pulveratis, quæ attrahit, vel gallarum, aut alio adstringente pulvere, aut decocto, etiam alcalina fixa animali solutione, in fluidis, quæ colore tentat. Est vero in hoc negotio id non infimæ considerationis, quod ferrum quocunque fossili acido in aquis solutum, non perinde gallarum, aut adstringentium vi mutetur, quam dum vitrioli interveniente acido suspensum est: proin gallarum, aut adstringentium adminicula, tutissima in omni casu esse non posse Ferri criteria; contra vero, cum solutio cærulei Borussici alcalino fixo lixivio, etiam volatili alcalino spiritu facta determinati acidi fossilis præsentiam nec possulet, nec expectet, eam unicum verum, & certum Ferri criterium esse in propatulo videri.

Quamquam vero adstringentium vis ferratis aquis atramenti nigredinem communiter conciliare solet, ut illis alcalica fixa animalia cæruleum colorem inducunt, est tamen etiam, ubi gallarum pulvis, aut cæruleum, aut purpureum iisdem colorem in experimento inducit; atque primum fieri observatur, dum his vitriolum martis purum inest, alterum dum hæ aquæ, aut natro, aut sale alcalino minerali, aut alio alcalino imprægnatæ sunt.

PRINCIPIA Ferri quod concernit, id ex principio communi inflammabili, & terra vitrescibili metallica exurgit.

Primum quidem putridus, sulphureus, inflammabilis, limaturæ martis, ab oleo vitrioli solutæ halitus, ex sedimento nigricante in eadem operatione, eductum verum cum mercurio in cinnabarim sublimandum sulphur, calcinatio ferri in crocum, croci in ferrum reductio, addito omni phlogisto, excepto sulphure, & Arsenico, quæ metalla omnia præter Aurum

rum forma metallica exuunt, demonstrant. De altero principio non dubitatur, & utrumque docet Ferri genesis, ex abstractione olei unguinosi a terra vitrescibili exurgens, etiam magnete exploranda.

Cæterum ex parte terrea omnia Physices cum magnete phænomena vix non dependent, a sulphure illi, qui a ferro in experimentis chemicis, & in corpore humano sequuntur effectus. HOMBERGIUS secretum invenit primus, quo sulphuream a terrea separaret partem in *iisdem*, & e ferro cum aliis, cæruleum Berolinense ALII: est enim hoc nihil aliud, quam ferrum valde subtilisatum, quod ope alcali fixi, cum phlogistica animalium parte coniuncti, in pulverem, plus minus cæruleum, præcipitatur, prout portio terræ aluminosæ adhibitæ sese habet.

PROPRIETATES ferri sunt, magnete attrahi, quanquam aliorum plurimorum corporum metallicorum non exiguam in se contineat vim, magnetis virtute infici, & ferrum attrahere, minime inter metalla malleabile, maxime elasticum esse, igne, tritu, candescere, difficulter fundi, scintillas projicere, adhæc igne consumi, speculo caustico semivitrificari, & subjectis carbonibus in scintillas totum diffundi, & evanescere: in aere, aqua, rodi in crocum, dissolvi ab acidis, cum vehementi effervescentia in spiritu salis, & vitrioli. Solutionum colores diversos esse pro diversis menstruis, flavam ex acido salis, viridem ex acido vitrioli, fuscam ex aqua forti &c. hoc metallum bilance hydrostatica ponderatum fere octavam sui ponderis partem perdit.

USUS MEDICUS iam veteribus notus, & multus: vinum aut aquam, in qua candens ferrum restinctum fit, potu cæliacis, dysentericis, lienosis, chole-

ra laborantibus, & dissolutis stomacho, auxiliari, tum & restringere, sistere fœminarum profluvia, **DIOSCORIDES** reliquit. **IPHICLUM** improlem eandem ab oraculo in remedium accepisse, ex historiis adhuc novimus. Recentioribus, in iisdem morbis, usus non minor est, adhuc in corpore laxo pallido roborans, hæmatopœticus & emmenagogus: docent id auctus ab eius usu cum respiratione pulsus, diffusus maior per totum corpus calor, subsidencia laxi corporis, absque ulla prædominantis viscosi evacuatione, habitus, & amœnus oculis, labiis, gingivis, genis, subnascens purpureus color. An igitur, quia menstrua nimia sistit, deficientia restituit, restituta expellit, opposita vi adstringendi, & aperiendi ferrum gaudet? vera physiologia semper negavit.

Est tamen quibus etiam obfit: non dandum phthi-  
siccis, scirrho affectis, plethoricis, biliosis, imo ipsis  
phlegmaticis, ni manifesta acidi signa in primis viis sint,  
vix in substantia, sed in acido vegetabili solutum ex-  
hibendum. Sub eius usu abstinendum alcalinis, acidis  
fossilibus: iniungendus, qui iuvat, corporis motus.

Limatura ferri ea chalybis potior omnium consen-  
su, in alcohol attenuatissima, si acidum in primis viis,  
in substantia datur, optime in bolo, electuario, pilu-  
lis, quinque, decem, granorum dosi; ructus sulphu-  
rei ovi quasi putrefacti, soluti in acido ventriculi testi-  
monium præbent; anxietas, spasmi obvenientes, opio  
solvuntur: fæces nigræ bonum signum habent. Cæ-  
terum in succis vegetabilium acidulorum, fructuum  
horæorum, vinis acidis, acerbis &c. solvi potest, uncie  
dimidiæ pondere in libra una liquidi, & bis de die un-  
cie duæ sumi.

Ex-

Externe adhuc magni usus martialis in fontibus medicatis sæx, roborandi scopo. Neque inutile est nigrum stratorum fabulum, ferro ditissimum, experimento MALAVAL *Acad. de Chirurg. T. III.*

PRÆPARATA. *Croci martis varii*: ablato sulphure pars metallica ferri, in spiritibus acidis fortissimis non adeo dissolubilis, ipso semper deterior ferro: rejiciendi. *Tincturæ* simplices meliores: martis cum succo pomorum in casibus recensitis laudabilis. Aliæ, ut martis *adstringens*, *aperitiva*, *helleborata*, suis authoribus placent. Ultimo etiam dici debet rubiginem ferri destillatam ad urinosum sal vergere. HIERNE, NEUMANN &c.

LAPIS HÆMATITES *Off.* Ferrum Mineralisatum minera figurata rubra, aut tritura rubente W. Classis Minerarum. Ordo ferrearum. *Germ.* Blutstein. *Gallis* Pierre hæmatide.

HÆMATITIS martialis minera est, coloris obscure rubentis, etiam ferruginei, nigricantis, fibris instar ligni longis, tenuibus, & acuum in morem acutis constans, saporis vero terrei, adstringentis, addito phlogisto ferri naturam consequens. Principia eadem sunt, sunt & eadem proprietates, ab acidis, ut ferrum, dissolvitur &c.

VIRES MEDICÆ adstringentes, siccantes, roborantes, sunt in sputo sanguinis cruento, ulcere pulmonum, aliis hæmorrhagiis, alvi fluxibus etiam moderandis, fluore albo &c. proficux. Huius quam ferri maior dosis est, forma pulveris a scrupulo semis ad scrupulum unum, ita proportione habita in electua-

riis, & aliis formis datur: Externe plurima ingredi-  
tur emplastra,

PRÆPARATA, Flores salis ammoniaci mar-  
tiales

AQUÆ FERRATÆ.

THERMÆ MARTIALES.

SULPHURÆ etiam in hanc classem  
revocandæ.

## ANIMALIA.

CHERMES *Offic. Entomologorum* COCCUS.

Classis Naturalis Insectorum. Ordo Hemipte-  
rorum.

**C**OCCUS quercus cocciferæ, aceto immerfus, su-  
pra lintea exsiccatus, nostris dividitur officinis:  
Recens sanguineum colorem habet, qui expressus basis  
est confectionis alkermes, quæ in Gallo-provincia opti-  
me paratur, & dividitur.

VIM adstringentem docet factum cum solutione  
vitrioli atramentum, Comes MARSILLI, roborantem  
in præcavendo abortu LINNÆUS, tum præstantem  
in profluvii sanguinis, etiam diarrhœa, dysenteria,  
alii habent: in memoriæ imbecillitate, epilepsia idio-  
pathica, aliisque convulsionibus, hæmorrhagiis, ad-  
huc laudat CARTHEUSERUS in *Commentationibus*  
*varii argumenti Germanice scriptis 1759.* An adeo  
analeptica confectio, ut etiam aphrodisiaca? Sal al-  
cali volatile examine chemico demonstravit MARSIL-  
LIUS de *Granis Kermes Act. Phys. Med. Acad. N. C.*  
T. III.

T. III. Sumuntur in substantia ad scrup. unum, duos, succo recenti, vel per se, vel cum syrupo cochlearum: etiam in decocto ad unciam unam, duas, datur succus: tinctura ex his, mediante spiritu nitri dulci parata, præstantissimæ virtutis esse dicitur, CAR- THEUSER l. c.

In hanc classem, quæ maiorem fibræ cohesionem, & elasticitatem conciliare possunt, ex animalibus ossa, eaque adhuc acriter calcinata numerantur liculentius, quod hæc superfluum, quæ fibras macerat, relaxat, humiditatem absorbendo, eis maiorem in mutuum nisum occasionem concedant. Externe vero applicari solum ea solent, quod resorpto liquido concrefcentia, cohærentem admodum pastam constituunt. Neque ex animalibus solum ea parari possunt, sed etiam ex terreis. Similis terra bolaris *Memoir. de l'Acad. des Sciences 1669.* descripta est, qua lymphæ fillicidium, vitriolo, alumine, non compescendum, siluit, & quæ, abrupto ad umbilicum fune umbilicali, lethalem hæmorrhagiam prævertere possit.





## CLASSIS SEXTA

## ATTENUANTIUM.

**A**TTENUANTIA dicuntur illa, quæ fluidorum nimiam tenacitatem tollunt. Locum habent, ubi signa docent æquabilem humorum per vasa motum omnium lentorem in toto, vel in parte, impediri. Lassitudines spontaneæ, dolores inflammatorii, acuti, vel & alii obtusiores, hæc indicant; licet ex his alia in acutis, in lentis alia, feligere medicus debeat, tum & pro genio materiæ attenuandæ diversa.

I. ABSTERSIVA,  
RESOLVENTIA.

**BARDANA** *Offic. ARCTIUM Botanicorum.*  
Classis Naturalis Compositarum Capitatarum.  
*Germ.* Kletten-Kraut. *Anglis* Burdock.

**A**RCTIUM DIOSCORIDIS, radices, & semina officinis exhibet. Radices lene aroma, amarum, resolvens, aperiens, habent, absque stimulo, ut in acutis absque metu adhiberi possint, HALLER; in cerevisia cocta arthritidem superavit, FORESTUS, ad luen veneream, & mercurii in corpore delitescentis ægrotudines, arcanæ habentur: In decocto ab uncia semis, ad unam, radices dosis est. Seminis amarissimi,

mi, diuretici, drachma: uncia semis in emulsis: drachma semis, una, in pulvere: in nephritide in aqua laudatur. Folia recepta non sunt, tamen in lacte cocta externe ad arthritidem valere ETTMULLER. Succus recens pressus, defæcatus, diureticus; dosis uncia unius, bis ter de die.

CICHORIUM. vide P. I. p. 22. 23.

CICUTA vide venena.

EBULUS *Offic. Botanicor.* SAMBUCUS

Classis Naturalis fructiflorarum. *Germ.* Niederholder. *Gallis* Yeble. *Anglis* Dwarb-  
Elder.

SAMBUCUS *herbacea floribus umbellatis.* In usu alimentari non adeo familiares hæ baccæ, amariiores, acriores, quam sambuci. Plantæ cæterum omnia habent similia, nisi quod Ebulus Sambuco valentior.

USUS MEDICUS ac Sambuci idem, sed efficacior, hydragogus, diureticus, solvens, discutiens, stimulans. Radix tota infusa ad drach. duas, unciam semis, exteriori cortice pulverato ad drach. dimidiam, nimio mensium fluxui roborando obvenit. Corticis mediani succus validissimus, hydropicis uncia dimidiæ vel integræ mensura datur: pulvis radicis drach. semis, unius dosi, ut & semen, quod ex chamæpityos decocto podagricis, ischiadicis potum, multum prodest. Cataplasma ex foliis extravasata solvit, discutit, maxime sanguinea, serosa. An non pleuritico lateri utilius vesicatorio, rubefaciente alio? utique adhuc sol.

vit? Flores vi diaphoretica etiam laudantur, femina purgante.

PRÆPARATA. *Roob* ebuli validum purgans unciæ dimidiæ, aut integræ pondere. *Aqua stillatitia* ebuli discutiens, etiam purgans ab aliquibus habetur, Unc. IV. dosi exhibitam singulis diebus, ieiuno ventriculo, in ascite & tympanitide utilem, TABERNE-MONTANUS dixit. *Sal* etiam non nullis habetur officinis, haud specificæ virtutis plantæ.

ENDIVIA *vide* P. I. p. 23.

FUMARIA *Offic. Botanicor.* Classis Naturalis Papilion. *Germ.* Erd-rauch. *Anglis* Fumitory. *Gallis.* Fume-terre.

FUMARIÆ *pericarpis monospermis*, herba, amarissima, solvens, sanguinem depurans, HOFFMANN, obstructionibus,ictero utilis, RIVIERIUS, pruritu, SIMEON PAULI, lepræ FR. HOFFMANN, scorbuto, arthritidi LINNÆUS. Datur in cerevisiæ pinta, manipulus unus, duo: vel in conferva, extracto, dosi drachmæ semis, unius: Etiam *syrupus*, *essentia*, prostant.

HIERACIUM.

LACTUCA *vide* P. I. p. 23.

MANNA *vide* Purgantia.

MEL *vide* antidota.

SACCHARUM,

SAPO-

SAPONARIA *Offic. Botanicorum*, Classis Pauci-flam. *Germ.* Seiffen-kraut. *Anglis* Soapwort. *Gallis* Saponaire.

SAPONARIA *foliis trinerviis, floribus umbellatis*, efficaciter abstergit, coagula bilis, viscerum abdominalium infarctus resolvit, etiam ictericis, & scorbuticis proficua, tum purulentis utilis: An debellat luem veneream? Semen ad epilepsiam laudat HOFFMANN. In lib. IV. aquæ manipulum unum viridis plantæ, incoquit SEPTALIUS cum passulis, pro potu: pro lavamento vel foimento manipulum unum in libra una: feminum dosis gran. quindecim, viginti, triginta, quam contra Epilepsiam laudant.

SCORZONERA *vide P. I. p. 32. 33.*

SEDUM MINUS *Offic. Botanicorum*, Classis Pauci-flam. *Germ.* Mauer-pfeffer. *Anglis* Wall-Pepper. *Gallis* Tete de Souris.

SEDUM *foliis subovatis, adnato-fessilibus, alternis, racemo triplici*; acre, alcalinum, BURGHARD. Succus eius, æquali quantitati spiritus vini rectificati commixtus, coagulum album constituit, volatile, faciei cosmeticum non utile, IDEM. *Satyr. Silesiac.* Flore albo multum contra cancerum, ubi etiam inutilis cicuta fuit, extollit ex observatione QUESNAY, atque id ipsum est sedum minus, teretifolium, album, C. B. non sedum parvum, acre, flore luteo I. B.

SEDUM

## SEDUM MAIUS seu SEMPERVIVUM

*Offic. Botan.* Classis Pauci-flam. *Germ.* Hauswurzel. *Gallis* Ioubarbe. *Anglis* Great Houfeleck.

SEMPERVIVUM *foliis radicalibus carnofis, caulinis imbricatis, corymbo racemofa, reflexo:* acidofausterum, etiam acre, aphthis utile, ad alvi profluvia, maxime putrida, infigne, externe ambufta coeracet, & refrigerat, ulcera calida temperat, laxa curat. Succum papillis mammarum inflammatis & dolentibus, ut & dolentibus & inflammatis gingivis lactis cremore & fyrupo violarum mixtum applicat van SWIETEN.

SONCHUS *Off. Botanicorum.* Classis Naturalis Compositarum Semiflofculofarum. *Germ.* Glatt - Leber - Distel. *Anglis* Sow - thistle. *Gallis* Palais de Lievre.

SONCHUS *foliis laevibus, & teneris, calycibus glabris,* ut tota tribus, fucculentus, faponaceus, amarus, viscerum obftructionibus, ictero utilis, etiam cic choreo praefertur SYLVATICO. Succus in pleuritide falutaris, BOCCONE.

## TARAXACON.

TRAGOPOGON, vide P.I. p. 33. 34.



## SAPONES.

**BILIS ANIMALIUM**, lucii piscis, anguillarum, tauri &c. adeo magni usus in glutinoso spontaneo  
L. B. VAN SWIETEN.

**LAPIS PORCINUS, PEDRA del PORCO**  
*Off.* Forte bili suam efficaciam æque, ac originem debet, L. B. VAN SWIETEN. Vix magnæ laudis capax, bili animalium non præferendus.

**SAPO VENETUS**, *vide* antidota.

**SAPO HISPANICUS seu ALICANTHINUS**, qui drachmæ semis pondere in drachmis tribus lactis coctus, triginta diebus ante epilepsiæ insultum haustus, dirum hunc morbum sustulit.

**SAPONES alii medici.** *vide* antidota.

## GUMMI AROMATICA.

**GUMMI AMMONIACUM.**

**BDELIUM.**

**GALBANUM.**

**OPOPANAX.**

**SAGAPENUM.** *vide* P. I. p. 163.  
ad 174.



II. ALCA-

---



---

## II. ~~ALCALESCENTIA,~~ ANTISCORBUTICA.

ALLIUM *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Liliorum. *Germ.* Knoblauch. *Gallis* Ail. *Anglis* Garlick.

**A**LLIUM *sativum*, seu *vulgare*, *staminibus alterne trifidis*, *foliis gramineis*, *capite bulbifero*, *radicibus in unum bulbum congruentibus.* HAL. *Philosoph. Transact.* Hoc graveolens, acre, subcausticum, sale volatilem concretum continere NEUMANN, penetrabilissimum esse, ex ulcere olens KERKRINGIUS, ex sudore PAULIN observarunt; ad hæc infusum obstructam urinam solvere BLAIR, prodesse calculosis omnium fere experientia, etiam in prophylaxin sumptum *Ephem.* N. C. HOYERUS, specificè podagræ mederi, TILÉMAN, a causa acida; ad vermes expertus laudat BINNINGERUS: Est etiam in hydrope diureticum potens, quo etiam hic morbus sæpe percuratur, in colica carminans, in hysterica passione naribus suppositum excitans: Ut spiritu frumenti, cui allium infusum, se perfricet æger in tympanitide, author est BORRICHIVS *de usu plantarum indigenarum.*

ALLIARIA *Offic. ERYSIMUM Botanicorum.* Classis Naturalis Cruciform. *Germ.* Knoblauch-kraut. *Anglis* Iack by the Hedge.

ALLIARIA *foliis cordatis*, interno raro usu, externo ad gangrænam plurima, non omnibus recepta officinis est.

BEC-

II. *ALCALESC. ANTISCORB.* 79

*BECCABUNGA* Off. *VERONICA* *Botanicorum*. Classis Naturalis Ringentium. *Germ.* Bachbungen. *Anglis* Brooklime.

*VERONICA aquatica*, foliis ovatis, racemis lateralibus; succo saponaceo aliis antiscorbuticis mitiori, plena, multum in referendis viscerum obstructionibus utilis, etiam in morbis cutaneis, ictero, laudata, in scorbuto maxime deprædicatur, sero lactis ad manipulum unum, duos, quatuor, decocta, etiam in succo expresso, defæcato, sumpta unciarum duarum mensura, bis ter de die; Adhæc iuvat ab acido ortam podagram diu adhibita.

Prostat *conserva*.

*BRASSICA* vide P.I. p. 19. 20.

*CEPA* Offic. *ALLIUM* *Botanicorum*. Classis Naturalis Liliorum. *Germ.* Zwiebel. *Gallis* Oignon. *Anglis* Onyon.

*ALLIUM* *staminibus alterne trifidis*, caule ad terram ventricoso. HALL. Aquæ septem octavas partes, & plurimum salis volatilis concreti, destillatum largitur, NEUMANN, ut magna vis in aqua stillatitia sit. IDEM. Cephæ vires calculum confringendi a plurimis adscriptæ, an veræ? Cocti, in cataplasma redacti bulbi, admodum maturant, etiam bubones KRAMER. *Commerc. Litterar. Norimberg.*

*COCHLEARIA* Offic. *Botanicor.* Classis Natur. Cruciform. *Germ.* Lesselkraut. *Gallis* Herbe aux Cuilliers. *Anglis* Scurvy-grafs.

*COCHLEARIA folio radicali subrotundo*; scorbuticis sacra, acrior quandoque, aliis temperanda. Græc.



Grœnlandis ex acetosa, & cochlearia simul crescentibus, in scorbuto salus, BARTHOLINUS. Valet etiam in scelotyrbæ, hydrope, asthma, orthopnoea; specificè diureticam LINNÆUS habet. Manipulus semis infunditur feri lactis libræ uni: succus per chartam bibulam defæcatus, datur cochleatim, solus, vel sero lactis permixtus, ab uncia semis ad unam pro dosi. Succus cochleariæ cum vino pressus, præsentaneo ischuriæ remedio fuit, *Ephem. N. C. Conserva* recens utilis: Egregia aqua stillatitia, bona in cancro oris aquatico, ut & Spiritus.

DRABA *Off. Lepidium Botanicorum*, Classis Naturalis Cruciform.

LEPIDIUM *foliis lanceolatis, amplexicaulibus, dentatis*, in Austria adeo frequens, nondum officinis recepta, an non tanta copia nascitur, ut a vinis acidis, ortis malis medeatur?

ERUCA *Offic. Brassica Botanicorum*. Classis Naturalis Cruciform. *Germ.* weisser garten Rauhensenf. *Anglis* Rocket. *Gallis* Roquette.

BRASSICA *foliis lyratis, caule hirsuto, siliquis glabris*, acris, graveolens, acetariis stimuli loco additur; viscidos humores incidit, solida stimulat, in asthma, lethargo, paralyfi, hydrope, apoplexia serosa, laudanda in vino infusa: semen masticatum apophlegmatifans. In infuso vinoso, seroso, pugilli tres, Manip. Semis. Pulvis feminum a granis decem, ad quindecim pro dosi, etiam liberalius frigidis, datur.

ERY.

II. ALCALESC. ANTISCORB. 81

ERYSIMUM *Offic. Botanicorum*. Classis Naturalis Cruciform. *Germ.* Wegsenff. *Gallis* Velar. *Anglis* Hedgemustard. *Italis* Eryfimo.

ERYSIMUM *siliquis cauli appressis*, gustu acre, urens, pituitam potenter incidens, morbis pituitosis pulmonum abs febre, plurimum utile. Pulverem feminum contra calculum, drachmæ unius portione, in albo vino valere, FONTANUS.

*Syrupus* de Eryfimo in asthma, & lentore acido, egregius.

NASTURTIUM HORTENSE *Offic. LEPIDIUM Botanicorum*. Classis Natur. Cruciform. *Germ.* Garten Kresse. *Anglis* Garden cresses. *Gallis* Cresson alenois.

LEPIDIUM *foliis oblongis, multifidis, incis.* Acris diuretica planta, valet in iisdem casibus: adsunt etiam præter herbam in officinis semina. Doses priorum. *Aqua* stillatitia ad vesicæ calculos mire præstans habetur. HARTMANN. *Praxi Chymiatri.*

NASTURTIUM AQUATICUM *Offic. Botanicorum* Sisymbrium. Classis Naturalis Cruciform. *Germ.* Wasser-Kresse. *Anglis* Water-Cresses. *Gallis* Cresson.

SISYMBRIUM *foliis pinnatis, angulosis, floribus super folia vix elatis*, minus acre cochlearia, omni laude in scorbuto lento maius, EUGALENUS, viscidos humores incidit, & per diuresim eliminat, in succo potum, per se cochleatim sumptum, aut fero, aut vino dilutum, unciæ semis, unius pondere: Infunditur etiam ad manipulum unum in libra aquæ. Phthilicos  
*Crantz M. M. T. II.* F etiam

etiam curatos esse nasturtii aquatici, & lactis ebutyrati potu, N. C. *Ephem. Decad.* 2. Anno 8. Iterum ad calculum renum, lapid. Cancrorum drachmam unam, in aquæ nasturtii e succo destillatæ unciis duabus cum femisse, probatæ virtutis remedium esse, *Ephem. Decad.* 3. Anno 7. 8. habetur. Dum cerevisiæ dolio aliquot brassicas rubras capitatas, minutim conscissas, cum duodecim manipulis nasturtii aquatici, vel cochleariæ, & libra recentis raphani rusticani, infunderent, integras familias a scorbuto curatas, hoc potu ordinario diu utentes, vidit *Illustr. L. B. van SWIETEN. Comment. T. III.*

*Conserva* egregia est, *essentia*, *spiritus* laudabilis.

PORRUM *Off. Botanic.* ALLIUM. *Classis* Naturalis Liliorum. *Germ.* Lauch. *Gallis* Pourreau. *Anglis* Leek. *Ital.* Porro. *Praso.*

ALLIUM *staminibus alterne trifidis, foliis gramineis, floribus spherice congestis, radice tunicata, cauli circumnata.* HAL. Culinaris potissimum, medicis usibus raro adhibetur, tamen decoctum porri ex potentissimis solventibus calculi, LOBB. habetur.

PIPER INDICUM *Off.* CAPSICUM *Botanicorum.* *Classis* Naturalis Pauci stam. *Germ.* Indianischer Pfeffer. *Gallis* Poivre d'inde.

CAPSICUM *annuum, igneum, rarius datur, hydropticis solum & asthmaticis utile, etiam glutinosum spontaneum domat. Dosis scrupulosa, ad grana quatuor. Hominum respiratiõni noxium est, suffocat vapor omnes cimices, araneam, apes, panorpes, MARTINET de Respiratiõne insectorum. Piper muscis lethale.*

SCIL-

SCILLA *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis  
Liliorum. *Germ.* Meer Zwibel. *Gallis* Squille.  
*Anglis* Sea onions.

SCILLA *radice tunicata*, acris admodum & corrosiva, recens viscidos humores potenter incidens, & solida exstimulans. Pura ad grana duo, tria, cum saccharo trita, horrendas sæpe in pectoris hydrope anxietates citissime, etiam insomnes noctes, orthopnœam sustulit, TYSSOT *de Hydrope*. Cæterum præparata in asthma, orthopnœa, Lethargo, hydropis tum alia specie, tum illa pectoris multum in usu est dosi granorum quinque, ad decem. Infunditur pariter a drachma una, ad drachmas duas in vino, quod tamen vomendi conatus excitat, quo casu aliis corrigendum est, ut aqua Cinnamomi lactea Baccis iuniperi, aut iuniperi spiritus, corticis peruviani virtute.

Cæterum acre, & penetrans remedium sæpe in toto corpore sævos dolores ciet, imo & mobiles in convulsiones agit, utrumque tamen incommodum camphoram auferre HALLERUS apud TYSSOTTUM testatur. Ventriculi vires deiecit, quos cortex erigit, & sanguinem solvit, ut in dissolutione humorum cum eo caute mercandum sit, & ubi scirrhus cum febricula, cancer periculo non caret. TYSSOT *de Hydrope*.

*Acetum squilliticum*, & *oxymel squilliticum* heroica medicamenta sunt, vel per se cochleatim exhibita, vel aliis ad unciam mixta; mane & vesperi bina cochlearia aceti squillitici calculosus hausit, & multos calculos excrevit. *Acta N. C.* Vol. III. Sæpe tamen & hoc intolerabiles anxietates excitat TYSSOT l. c. Terræ foliatæ iunctum egregium est Hydrope remedium & a causa frigida mucosa singultientibus plus una vice auxilio fuit.

SINAPI *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis  
Cruciform. *Germ.* Senff. *Gallis* Mustard. *Anglis* Mustard. *Italis* Senape.

SINAPIS *filiquis glabris, tetragonis*, semen, maxime officinis receptum, acerrimum, corrosivum, externe corpori applicatum rubefaciens, utile, interne raro datur. Datur tamen in prophylaxim apoplexiæ pituitosæ, HOFFMANN, in curationem lethargi, paralysis. Ante paroxysmum febris intermittentis, maior dosis spiritu iuniperi diluta, assumpta, lethalis. L. B. van SWIETEN. Tamen scorbuticis prodest, CHOMEL. Externe in rubefacientibus, sinapismis, princeps, mollioribus, ut unguento de Althæa, pulpa ceparum dilutum, intritum, tineam, & impetiginem sanat, FORESTUS. An tuto, emplastro subactum, faciei, ut hæc a variolis immunis præstetur, imponitur? ut id quidem fieri Cl. ROSEN reliquit.

TRIFOLIUM FIBRINUM *Offic. MENY-  
ANTHES Botanicorum.* Classis Naturalis  
Pauci-stam. *Germ.* Biberklee. *Anglis* Buch-bean.

MENYANTHES *foliis ternatis*, multum saponacea, amara, antiscorbutica, & anti-arthritis, per excellentiam dicta, SIMON PAULI, SCHULTZ. Arthritidi præsentanea medicina, BOKELMANN, FRANCI, rheumatismo, podagræ utilis, etiam in nephritide laudatur, L. in obstructionibus, ictero summum remedium est, BOKELMANN, & asthmatis hypochondriaco præsens subsidium, IDEM; cochlearia, nasturtio, in scorbuto efficacius, IDEM. Notari meretur, antiscorbuticarum vim in humido, & sapido esse, perire siccatis plantis, hinc in succo dandas, usum harum in hypochondriacis, melancholicis utilem. Pulvis

vis

vis radice acrioris purgat drachmæ pondere. Plantæ manipulus semis infunditur in libra una feri lactis recentis, etiam succus in eodem datur, unciæ semis, unius dosi.

VICTORIALIS *Offic.* ALLIUM *Botanicorum.* Classis Naturalis Liliorum. *Germ.* Siegwurtz.

ALLIUM *radice oblonga, reticulo obducta,* ad spasmos abdominales gravidarum ex amuleto suspensum, laudat HALLERUS. Cæterum ad usus magicos plurimum adhibetur.

### III. INCIDENTIA SALINA.

SALIA dicuntur corpora linguæ saporem imprimentia, aqua solubilia igne vel fluentia vel volatilia; hæc quidem omnia acida sunt vel alcalica vel media, possent etiam addi terrea. Quæ ad hanc Classem Attenuantium spectant, potissimum media sunt & alcalica: de prioribus hic, de posterioribus Tomo III. potissimum dicam.

Sunt vero salia media, alias & Neutra, & Enixa dicta, ea salia, quæ intimiori & saturatori acidi & alcali connubio exsurgunt: criteria igitur horum exactissima, eorundem principia sola esse possunt, docent syncrasis, diacrisis minime syrupus violarum ut contendere Pharmacopæi possent vide NEUMANNI *Commentat. de syrupi violarum commistione ad probanda liquida insufficienti & fallaci Miscel. Berolin. T. III. IV. insertam.* CARTHEUSERI *Hydrologiam*, aquarum

medicatarum Angliæ examen ALEX. SUTHERLAND. Sed & inde patet terreas acido saturatas substantias falia neutra dici non posse. Inter ea quæ hic recensere convenit, sunt sequentia:

AMMONIACUS SAL. *Offic. Mineralogiae.*  
Classis Minerarum. Ordo Salinarum: an artificiarum? *Germ.* Salmiack. *Gallis* Sel ammoniac. *Anglis* Sal ammoniac.

SAL AMMONIACUM in glebas igne subterraneo concretum, WALLERIUS. In Italia, & in Anglia naturale esse creditur, etiam in Calnuccarum regionibus, rupibus accretum inveniri MODEL *experimenta Et tentamina super nativo sale ammoniaco. German: Lipsiae 1758.* Figuræ indeterminatæ esse, nec duas sibi similes glebas, friabiles, aqua in integrum solubiles. IDEM.

Ammoniacum *artificiale, vulgare*, solum ex Ægypto ad nos adfertur, ex stercore animalium, & straminis fuligine sublimata, paratum: docent LEMAIRE & GRANGER *Acad. des Sciences 1735.* ut frustra fuligini arcana addi salem marinum encheiresi, NEUMANN, CARTHEUSER, POTT, suspicentur.

At unde acidum falis in sale ammoniaco? facile dictu; terra Ægypti sale communi abunde imprægnata est LEHMANN, & plantæ & stercore animalium eodem gravida sunt IDEM, tum animalibus, & vegetabilibus inest, BOERHAAVE, in fuliginis nostrarum regionum analysi, magnam satis falis ammoniaci quantitatem obtinuit IDEM, sed neque acidum falis iunctum fuligini, maiorem suppeditat falis ammoniaci copiam, DU HAMEL *Acad. des Sciences 1735.* Calcis vero siccæ pulvis, additus, maiorem volatilis falis copiam producit, quam

quam non additus, IDEM. At falis marini acidum non facile volatile fit, CARTHEUSER; id de acido falis marini per se adhibiti manifestum, volatilibus animalium, & vegetabilium partibus incorporati, horum fabrica mutati, non adeo luculentum, quin contrarium evidentissimum in sale nostrorum humorum: adhæc plantæ sale marino plurimo gaudentes combustæ, in cineribus falis marini nihil relinquunt. q. e. d. Adde etiamnum omnium acidorum ponderosissimum vitrioli acidum ex levi causa volatile fieri, & ipsum falis acidum sæpe sua basi liberum, in terræ visceribus inveniri. LEHMANN l. c.

PRINCIPIA igitur huius falis: *primo* acidum: *secundo* alcali volatile urinosum: *tertio* inflammabile. Primum, quod aliud, præter falis acidum, salem ammoniacum verum nunquam efformet, docet sal ammoniacum secretum GLAUBERI, acido vitriolico, & alcali urinoso factum: docet nitrum flammans, acido nitri & alcali urinoso exurgens: tartarus solubilis sale urinoso, & acido vegetabili factus: contra vero spiritus falis sali volatili animali iunctus perfecte ammoniacalis est in omni experimento, adde quod sal ammoniacus in aere liquecat, falis acidum in hoc demonstratur. Secundum odor urinosus, dum cum sale tartari vel calce teritur, & spiritus urinosus in destillatione, manifestius evincunt. Tertium, quatuor partium nitri cum una falis ammoniaci, perfecta detonatio, suadere videtur. Est vero una circiter pars acidi falis communis ad duas vel tres partes alcali urinosi, alii alias proportionem habent: in Tentaminibus GEOFFROY Junioris in libra una falis ammoniaci falis volatilis uncias quindecim, acidi marini unam invenit *Acad. des Sciences* 1723.





Cæterum, quod proprietates eius spectat, in eadem fere, ac sal gemmæ, aquæ quantitate solvitur, vulgare aqua solutum spiritu vini non præcipitatur: irregularis, non facile determinandæ figuræ, crystallos habet, lanugini similes: cum oleo tartari, aqua calcis, odorem penetrantissimum exhalat; mixtum cum vitrioli oleo vehementem effervescentiam, frigidam tamen, init; cum spiritu nitri, aut aqua forti, aurum non adeo solvit, quam volatilifcat, licet aquam fortem in Regiam commutet; Igne avolat, maiori tamen, quam ad aquæ ebullitionem requiratur; vase clauso per se sublimatur: degustatum linguæ frigoris sensum imprimit, maxima sua penetrabilitate omnia pervadit, nec acidus, nec alcalinus; sali nostrorum humorum similimus. Sal ammoniacum fixum ex calce viva, & acido salis communis conflatur.

USUS MEDICUS, ubicunque in fluidis tarditas, in solidis inertia, eximius; in morbis lentis, pituitosis, incidendi, attenuandi scopo; tum etiam ad diaphoresim augendam, egregius. Dosis a granis quinque ad duodecim, quindecim, vel in pulvere vel cum vehiculo, bis, ter, de die. In febribus intermittentibus pro puerulis dosis granorum quinque ad quindecim, in aquæ stillatitiæ sambuci uncia una, vel potu Theiformi, dimidia ante paroxysmum hora; adultis drachma una multum multis laudatur. *Nova Acta Acad. N. C. vol. I.*

Externus chirurgis celebratissimus, & in suffimigiis, & fomentis ad tumores frigidos. In gargarismatibus, collutoriis etiam, in angina aquosa, tumore glandularum salivalium, linguæ paralyfi familiaris. Drachmam unam salis ammoniaci crudi, in duabus drachmis succi limoniorum solutam, ad dolores dentium gossipio  
hac

hac solutione madido, denti immisso, arcanam fuisse,  
 GODFREY *Treasure.* &c.

PRÆPARATA.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI interme-  
 dio corpore alcalino destillatione liberatus, addita so-  
 lum aqua, *Simplex Urinosus*, affuso simul spiritu vini  
*Vinosus* audit. Prior etiamnum duplex, vel enim cum  
 sale tartari solum paratur, vel interveniente viva calce  
 expellitur; & in his adhuc magnum discrimen quoad  
 proportiones salis ammoniaci, salis tartari, aquæ, tum  
 quoad easdem calcis observes:

In genere dici potest, spiritum salis ammoniaci *uri-*  
*nosum* cum sale tartari solum paratum, longe diversum  
 esse a spiritu salis ammoniaci cum calce viva facto. Est  
 enim posterior priori non solum volatilior, sed & ma-  
 gis causticus, ut ob hanc rationem *spiritus volatilis cau-*  
*sticus*, seu *spiritus salis ammoniaci cum calce* vocetur;  
 præterea adhuc proprietates plures possidet, quas alter  
 non habet.

- I. Quod sal volatile forma sicca salina haud appareat,  
 nec hyeme crystallifetur hic spiritus.
- II. Quod cum spiritu vini offam Hellmontianam  
 haud constituat, contra cum spiritu vini rectifi-  
 catissimo amice se gerat, & huic iungatur.
- III. Quod bene præparatus, sive puncto saturationis  
 salis ammoniaci volatilis cum sale caustico calcis  
 obtentus, cum nullo acido effervescat.
- IV. Quod sit spiritus salinus perfecte medius, quod  
 multi hinc inde negaverant, posteriores vero Che-  
 mici clarius perspexerant, & iam BOERHAAVE  
 F 5 bene

bene monuerat, licet hodie iniuste in lyceo nostro ob id culpetur,

Cæterum inter efficacissima stimulantia spiritus salis ammoniaci urinosus recensetur, aqua dilutus tantum exhibendus a guttis quinque ad viginti; externe linimentis, & unguentis insignem penetrandi vim conciliare solet,

Spiritus salis ammoniaci *cum calce* paratus, priori volatilior ad excitandum animo lapsos naribus solum admovetur, etiam extemporanee fieri potest immissa in spiritum salis ammoniaci calce. Interne raro datur, neque tamen sine ratione, cum causticum ignis in se possideat; cum vero menstruum egregium habeatur plurimarum vegetabilium substantiarum, ut v. g. corticis peruviani, a quo simplex urinosus parum extrahit, posterior vero integram efficaciam, nonnulli interne aliarum tincturarum more hunc vegetabili substantia imprægnatum exhibere solent,

*Vinosus* dulcificatus interno usu multum laudatur, simplici urinoso calidior, eadem tamen fere dosi datur diluendus vehiculo,

Est etiam addita anisi vi *Anisatus*, in pituitosis pectoris morbis, asthmate commendatus; tum succini *Succinatus*, in lethargicis & apoplecticis affectibus a causa frigida utilis. A capite mortuo vero, a destillatione spiritus salis ammoniaci, tam urinosi caustici, quam vinosi, residuo, *Sal digestivum* SYLVII paratur, acido salis communis, & alcali fixo, urinoso constans, egregium incidens: Dosis a granis decem ad triginta. In capite mortuo vero spiritus caustici habetur sal ammoniacum fixum acido salis, & terra calcis constans.

FLO.

FLORES SALIS AMMONIACI SIMPLICES. Qui cum sale communi sublimantur, inutiles in officinis labore, verum sunt sal ammoniacum purum.

FLORES SALIS AMMONIACI MARTIALES. Cum limatura martis, vel lapide hæmatitide facti, multum laudantur in pertinaci mensium suppressione a causa frigida, fluore albo, viscerum obstructionibus. Dosis a granis tribus, ad decem, bis, ter, de die.

SAL VOLATILE SALIS AMMONIACI SICCUM, ANGLICANUM vulgo dictum, valde activum, externo tantum usui dicatum una parte Salis ammoniaci duabus calcis valido igne sublimatum. Siccum cum oleis aromaticis stillatitiis etiam oleosum, variuin a variis concinnatur: ita familiare est & solenne sal volatile ammoniaci salis siccum, cum oleo maioranæ, vel florum aurantium, aut cedrino, probe imbuere, & naribus crebrius offerre, quod mire mucositatem colliquat, & vigorem sensibus affert. FR. HOFFMANN *de Selectioribus Medicamentis.*

BORAX *Offic. Mineralogiæ.* Classis Naturalis Minerarum. Ordo Salinarum: an artefactarum? *Germ.* Borax, *Gallis* Borax. *Anglis* Borax.

BORAX non depurata *Tincar* offic. ut ad nos alata, plurimis compacta est, & tantam terræ gryseæ a spiritu salis solubilis, ab alcali præcipitandæ quantitatem habet, quanta est II ad 12. Centenarii BRAND *Acad. Reg. Suec.* Vol. XVII. Depurata alba octangularis, semi-pellucida est, saporis falsi lixiviosi nauseosi, non alcalini, in aere in facinam fatiscit in igne funditur, fusa ut Alumen intumescit & in vitrum commutatur, massa

massa ad dimidium fere ponderis reducta GEOFFROY *Acad. des Sciences* 1732. in aqua calida solubili (licet ipsa Borace aliquantulum difficilius) & denuo in veram Boracem crystallifabili LEMERY. *Acad. des Sciences* 1728.

Borax salium alcalinorum multas dotes habens, & volatile ex sale ammoniaco, alcali excutiens, dotes specificas plurimas habet; & primo naturam Vitriolorum & Aluminum contra omnis salis alcalini indolem in eo sectatur, quod in eius compositionem notabilis adeo aquæ quantitas recipiatur ut dimidium sui ponderis fere aqua sit, notabilis itidem requiratur ut in ea solvatur. Cæterum in frigida difficilius, citius longe in calida solvitur, ita tamen ut semper X imo XII partes requirantur aquæ ut soluta maneat; sex unciz aquæ ebullientis unciam semis Boracis solum solvere in experimento LEMERY *Acad. des Sciences* 1729; atque tum adhuc post aliquot dies aliqua præcipitabatur salis portio IDEM *ibidem*. Nuper tamen in aqua ebulliente etiam plus Boracis quam alterius cuiusvis salis solvi vidit CL. BRAND *Acad. Reg. Suec. Vol. XVII*, an est in Borace diversitas?

Sunt adhuc inter specificas Boracis dotes, aliæ plures haud præter videndæ, scilicet quod in oleo tartari per deliquium facillime solvatur, huic uniatur, & instituta evaporatione in crystallos denuo concrescat iam in aere humescentes CL. BARON *Mem. de Mathématique* Tom I. Tum quod in acidis maxime vegetabilibus longe facilius quam aqua solvatur, cum etiam difficiles cæteroquin acidorum nonnullorum solutiones promoveat; unciz duæ Boracis pulveratæ cum duplo comminutarum crystallorum tartari pulvere mixta in una fere sexta parte illius aquæ quantitatis solvuntur, qua ad ho-

rum

rum duorum corporum separatam solutionem fuisset necessaria, & per quadrantem horæ coctæ formam solidam non amplius induunt continuo in aere deliquescentes. Idem cum tartaro crudo phænomenon Borax exhibet, & tam acidis mineralibus quam vegetabilibus secreta, non conspicua unione nubi LEMERY *Acad. des Sciences* 1729 prodidit, etiam igne fixam alas addere & vitrioli & nitri & falis acido, non vero acido aceti IDEM asseruit.

Borax officinalis, encheirisi Venetis, & Hollandis arcana præparata, sal est medium, quod nec cum acidis nec cum alcalinis conflictum ineat, violarum syrupum non mutet ex LEMERY & NEUMANNI testimonio; sed alii aliter censuerunt: alcalinum pronunciatum est a Cl. GEOFFROY *Acad. des Sciences* 1732 siquidem præcipitet terram metallicam vitriolorum, eam aluminis & aquæ calcis, viridem etiam succo florum violarum colorem conciliet, præcipitet solutionem Mercurii in spiritu nitri factam colore citrino, solutionem sublimati corrosivi colore aurantio. Et nuper unico, in tanta Chemiæ germanicæ luce, syrupi violarum *bene præparati*, operoso si superis placet experimento, alcalina boracis natura, proclamata est, ut vix opus sit, consecrata *Acad. Reg. Suec.* Vol. XVII. Cl. BRAND experimenta adducere, scilicet I. Quod saturata Boracis in aqua ebulliente solutio cum acidis sensibilibiter effervescat. II. Quod ex Boracis & acidi vitriolici mixtura, sal producat mirabile. III. Quod ex sale ammoniaco & Borace spiritus destilletur falis ammoniaci. IV. Demum, quod Borax tam cum oleis pressis, quam pinguedine saponem constituat, ut salia alcalina solent. Nunc tamen post omnia non liquet, an de uno eodemque subiecto, Cl. Viri disputent, an Borax LEMERY  
et

& NEUMANNI fuerit Borax GEOFFROY? an Borax Veneta eadem sit ac Batava? an encheireses Venetiis adhibitæ semper eadem, nullo peccato obnoxia? & ultimo certum est, Boracem simplicem sale non esse, nec purum, sed commixtum compositumque, nec videtur tanta esse huius a sale communi quoad compositionem diversitas, utpote quod non spernendam portionem alcali mineralis contineat, acido non adeo exacte saturatam. Nuper egregius BEAUME *Manuel. 1763.* compulsis & pensatis omnibus, Boracem sale medium particularem, qui sale sedativo perfecte quidem neutro tamen hic basim salis marini saturante conflatus, saporis falsi & salis medii sit, pronunciavit; & hæc quidem sententia non imbecilliter probatur, ex vitro Boracis in aqua cocto, soluto, & in veras denuo Boracis crystallos, absque ulla mutatione, evaporatione redacto.

Cum vero acidum Borax habeat principium, merito queritur cuius naturæ id acidum sit, quod in eius compositionem recipitur. Acidum salis esse omnium primus Cl. NEUMANNUS edixit, hunc pauci secuti sunt, ultimo tamen post varia de Borace tentamina in *Acad. des Scienc.* BOURDELINUS accessit. Esse acidum vitriolicum plurimis POTTIUS probavit, tum vitrescentia, tum transitu spiritus salis, in destillatione salis compositi ex borace & fixo sale ammoniaco, transitu spiritus nitri in destillatione eiusdem cum nitro, mercurii ex aqua forti in pulverem nigrum præcipitatione, POTT, in brunnum MODEL; ut igitur borax, acido vitriolico, terra alcalina vitrescibili, viscido parco inflammabili commixto, tum demum aqua constare POTTIO videatur, quod tamen Cl. BRAND negat, etiam multum impugnavit BARON. *Mem. de Mathematique T. I.*

Quoad

Quoad basim duplex alcali, refractarium unum, alterum minerale MODEL statuit; terram vitrificabilem unam, alteram salis marini GEOFFROY *Acad. des Sciences* 1732. Prior cum acido vitrioli facit sal sedativum, altera cum eodem sal mirabile GLAUBERI, ut inde sal commune, vel saltem eius terram boraci inhærere contendat THUE *prod. Act. Havniens.* Unde etiam borax cum carbonibus, aut alio inflammabili fusa non reddit hepar sulphuris, IDEM, quin cum sale communi, & aliis simplicibus, arte produxit boracem, *ibidem*, a POTTIO alienus. Nuper ex borace cupri, & arsenici regulum produxit CADET.

Mechanicus, & chemicus boracis usus multus, non parcius medicus, scopo resolvendi, attenuandi viscidos tenaces humores, emmenagogus, antiparalyticus, granorum decem, viginti dosi, gummatibus, aut aliis stimulantibus iunctis. Pro expellendo fœtu mortuo specificum admodum ridiculum est. Externus usus cosmeticus.

PRÆPARATA.

SAL SEDATIVUS HOMBÈRGII ab authore sublimatione ex Borace cum acido vitrioli factus. *Acad. des Sciences de Paris* 1702. difficulter in aqua solvitur, MACQUER, tepida facile, CARTHEUSER, etiam in spiritu vini calefacto, cui flammam viridem conciliat; ut & Borax solet.

Hic sal, licet sublimatus, non tamen volatilis est, dum siccus maximo igni resistit, funditur, vitrificatur. Nec credere fas est, acidum vitriolicum purum semper requiri, siquidem & aluminis spiritu, & sulphuris



phuris quoque obtineatur LEMERY. *Acad. des Sciences* 1728. imo alio, etiam acido, nitri, salis conficiatur GEOFFROY *Acad. des Sciences* 1732. Quid quod etiam exurgat vegetabili BARON. l. c. imo fieri possit nullo interveniente in integram acido IDEM, neque etiam sublimatione semper sed sola crystallisatione opus, ut igitur sal sedativus ex coniunctione sola acidi vitriolici & parte urinosa Boracis sublimatione nasci dici non possit.

Tam sublimatione, quam crystallisatione etiam cum diversissimis acidis paratus sal sedativus, idem semper est sal medius GEOFFROY, BARON, levissimus omnium & aquæ supernatans, acidis mineralibus non decomponendus, ex parte tamen solvendus, dum volatili salis ammoniaci spiritu nullatenus solvitur, licet in illo illico liquefcat, & huic misceatur BOURDELIN. *Acad. des Sciences* 1755. Quanquam vero sedativus sal nec ipso calcanthi acido alteretur, is tamen acidum nitri, & salis expellit, BARON. At neque inde natura huius planior, aut est evidentior, dum etiam sal sedativus acido vegetabili obtentus ex suis habitationibus acida fossilia expellit. Cæterum vix sapidus, in aere non humescit, cæruleos vegetabilium colores non tentat, in crucibulo absque intumescencia vitrificatur; vitrum aqua solutum evaporatione denuo in crystallos easdem, non mutatas ducitur; & si foddæ crystallo salis sedativo iungantur, denuo regeneratur Borax.

Anodynum præstantissimum, nulla præsentente inflammatione, laudatur etiam in febribus malignis, in acrimonia acalina volatili, quam domat, CARTHEUSER. Datur forma pulveris a granis tribus ad decem,  
in

in mixturis aquosis ad scrupulum, concentratis solutus sal, ad guttas quadraginta, quinquaginta, sed tum febris abesse debet. Sal hic omnibus in officinis non habetur.

KERMES MINERALE. vide P. III.

NITRUM *Offic. Mineralogorum.* Classis Naturalis Minerarum. Ordo Salinarum. *Germ.* Salpeter. *Gallis* Salpetre. *Anglis* Salt Petre.

NITRUM *prismaticum hexaedrum, in igne flammans,* non evidentius cognoscitur quam a crystallo- rum detonatione cum inflammabili materie. Nostrum a nitro vel natro veterum, quod erat sal acalinum, distinctum, cognitum non fuit veteribus. An in aere nitri matrix? experimenta MARIOTTE, LEMERY, *Acad. des Sciences* dudum repugnant. At oleum tartari per deliquium aeri expositum, in salem medium, tartarum vitriolatum concrevit (quod multi negaverant) PIETSCH, & loco expositum, in quo corporum putrefactio sales volatiles urinosos producit, in verum nitrum convertitur, IDEM, quid? quod ex aquæ pluvie maiori quantitate spiritus vitrioli omnidote præditus eliciatur, IDEM, tum Cl. MARGGRAF. l. c. p. 297. & ante hos viros aquam procellosam mense augusto 1735 vasis terreis loco elato positæ collectam, sulphur redoluisse & oleum calcis in simile coagulatum, in quod dilutior vitrioli spiritus hoc agere solet, præcipitasse HELLOTTUS vidit; & soluto tartari sale in aqua procellosa 1724 tartarum vitriolatum natum GROSSE *Acad. des Sciences* 1737.

Cranz M. M. T. II.

G

Tam

Tam naturæ, quam artis productum hocce sal, generatur, dum terram calcaream imprægnat acidum vitriolicum, tum vel vegetabilibus, vel animalibus nubit, & per putrefactionem inflammabili, & urinoso principio ita mutatur, ut fit iam particulare nitrosum. Et primo quidem, quod acidum nitri acidum vitriolicum sit, hæc argumenta sunt: maxima similitudo acidi nitri & spiritus sulphurei volatilis; ex spiritu enim nitri cum oleo terebinthinæ obtinetur balsamus sulphuris, & ex duabus partibus nitri crudi, aqua soluti, una vitrioli, spiritus sulphuris per campanam, *Clarif. PIETSCH Dissert. sur la generation du Nitre, qui a remporté le prix de l'Academie de Berlin.* Secundo, quod huic inflammabile principium insit, docet nitri puri inflammabilitas, spiritus nitri exhalatio, salis urinosi exhalationem contingens, in flammam erumpens, accensio eiusdem cum oleis stillatitiis &c. *IDEM.*

Utrumque principium nitro inesse hæc demonstrant: quod verum nitrum ex spiritus vitrioli, urinæ putrefactæ, calcis vivæ, miscela generetur, *IDEM*, etiam ex permixtis lixivis ab antimonio diaphoretico, antihectico *POTERII*, & cerussa antimonii, elotis, residuis adiecto spiritu vini; nitrum obtinuisse *BRENDELIUM*, alii addunt, haud convincente experimento. Verum inflammabile hoc principium ab acido separari posse, separato, acidum superesse salis communis, *KUHNST. Act. N. C. Observ. 138. Vol. VI.* notavit; veritas adhuc latet.

Acidum nitri sal minerale non esse, nec eius vestigium in terræ visceribus deprehendi, *BOURDELIN Acad. des Sciences 1742.* & semper ex nitro educi arte debere *LEHMANN Conspec. mineral.* testantur. Adidit quoque principiorum in depurato, & crystallifato

to hoc sale observatorum proportiones *Cl. GEOFFROY Acad. des Sciences 1717*, & libram unam nitri, dimidium aquæ, terræ quartam partem, quartam itidem acidi continere dixit.

PRINCIPIA igitur nitri quod spectat: I. Acidum vitrioli debilitatum phlogisto salium alcalinorum. II. Terra calcarea alcalina copiosa. III. Aqua. Ex parte phlogistica uniente terream acidæ, est, quod acidi nitri debilioris, non facilis etiam a fortiori acido vitrioli, expulsiō: ab aliis alia, *Cl. PIETSCH l. c.* Acidum nitri non expellit acidum salis, quod tota chemia assumpserat, *SCHULZE*. Dum duæ uncia salis marini fumuntur, & spiritus nitri fumantis uncia una, facto processu spiritus nitri obtinetur, omni dote præditus, & in retorta merum sal commune habetur, *IDEM*, non nitrum cubicum; & in tentamine suo *Cl. MODEL* guttas aliquot puri acidi salis obtinere non potuit, licet inde productus spiritus hoc esset mixtus, quod argentum non aggredereetur, *IDEM*. An hic spiritus ex utroque acido constans, erat aqua regia? omnino: licet enim atrum non solvisse illico visum *MODELIO*, solvisse tamen aliis observatum, & *HOMBERGIO Acad. des Sciences 1706*. & *BRAND Acad. Reg. Suec.* & *GMELINO in Præfat.*

Limitanda vero *SCHULZII*, & aliorum virorum experimenta esse, nuperrime novis tentaminibus docuit *Cl. MARGGRAF Script. Chem. Germ. Berolini 1761*. & acido nitri certo expelli acidum salis, & nitrum cubicum obtineri, modo debitæ proportionibus ferventur, p. 147. 149. & contra, acido salis tam ex nitro cubico, quam prismatico, acidum nitri expelli. p. 160.

PROPRIETATES. Nitrum purum levissimum salium, marino liberum in aere siccum manet, in aqua solvitur, totum leni igne funditur, & per crucibulum transit, cum carbonibus fulgurat, parum carbonum relinquit, sponte tamen non inflammatur: non est acidum, nec alcalinum, licet utrumque elici possit: degustatum frigiditatis sensum cum amarore linguæ imprimat. Acidi maximam quantitatem post vitriolum in sinu suo fovet, illud vaporum caruleorum forma prodit mediante arsenico, rubrorum vero interveniente vitrioli oleo tanta quantitate, ut dimidia fere nitri adhibiti obtineatur.

Quamquam vero vaporum horum ratione intervenientis corporis alia aliquantulum ratio sit, ii etiam alba ascendunt forma, dum fumantis nitri acidum vitriolico coniungitur acori, est tamen hæc vaporum rubrorum natura nitro adeo individua, ut in nullo alio acido, quam in hoc observetur; & certum est in miscela, aut destillatione acidorum fossilium, ascendentes rubros vapores, aut admixti nitri, aut generati indolem testari, quæ res probe tenenda est, exempli gratia: sublimatum absque acido nitroso factum, nitrosi quid rubrorum vaporum forma dimittit in phænomeno: & hic acidum salis in acidum nitri converti debuit, ut sublimatum rubros vapores dimitteret; eundem, si in eo adfuisset verum nitri acidum, id cum salis acido debuisset constituere aquam regis aurum solventem, quod non est in experimento &c. *POTT. Send-Schreiben.* Habet adhuc nitri acidum alias longe diversas, argentum seu purum, seu cupro permixtum solvit.

Con.

Concentratum nitri acidum cum multis oleis stillatitijs, multis etiam pressis luculenter ardet; cum stillatitijs quidem gravissimis per se, cum pressis vero vitrioli acuatum acido. Sunt etiam olea cum quibus solum fumat, & est in diversis harum substantiarum experimentis, successus, tum ratione acidi nitrosi, tum ratione admixtionis modi, tum ratione temporis diversus, ut testatur ROUELLE *Acad. des Sciences.*

Et primo quidem thermometro glaciem denotante, & datis amplissimis vasis, tum inflammatur terebinthinæ oleum, dum ex commixtis liquoribus exorto fungo acidum nitri superfunditur satis concentratum, cuius pondus ad eandem aquæ mensuram hoc complexum calculo, ut ad

- |                     |   |   |  |
|---------------------|---|---|--|
| Aquæ                | - | - | unc. I.                                    |
| I. Acid. nitrosum   | - | - | unc. I. drach. III. scrupulos duos habeat. |
| II. Acid. nitrosum  | - | - | unc. I. semis minus XII. grana possideat.  |
| III. Acid. nitrosum | - | - | unc. I. semis, & duos scrupulos.           |

Hac acidi nitri activitate diversa, vidit inflammari oleum Terebinthinæ, Cedrinum, Juniperinum, Lavendulæ; fuere pariter in flammam concitata olea pressa, oleum lini pressum a secundo acido nitri magis adhuc a tertio, oleum nucum, cannabinum solum a tertio. Nitri solo acido vix inflammari potuit oleum olivarum, amygdalarum, raparum, sed hic vitrioli oleum suppetias ferre debuit, ut etiam obscuriori & partito incendio hæc olea flagrarent, quanquam id  
 G 3 ipsum

ipsum oleum eadem, cum phlogisto destituatur nunquam inflammet, & si pulverem pyrium oleum glaciale unquam accendit, id ex phlogisto pulveris pyrii pendebat. Cæterum, ut ex lixivio nitri, addito oleo vitrioli, catharticum sal confici possit, docuit *Cl. PIETSCH dissert. citat.*

Vis nitri attenuans, solvens, in inflammationibus proficua, utique & sanguinem fluidiorem, & rubicundiorum reddit! *SCHWENKE*: etiam æstum antiphlogistica compescit, *BOERHAAVE*: adhæc diuretica aquosis mixta, ut aquis medicatis in corpore resstantibus addatur. Dosis in libra aquæ drachma feminis, una.

## PRÆPARATA.

**ARCANUM DUPLICATUM** acido vitrioli & parte alcalina nitri conflatum, sal commune plerumque recondit; docet spiritus per additionem arenæ elicitus, mercurium sublimatum colore albo præcipitans, & aurum foliatum solvens, aquæ forti mixtus. Cæterum eiusdem, ac præcedens, usus, nec ipsa dosis diversa est.

**MAGNESIA ALBA NITRI.** Ex lixivio a nitri crystallisatione residuo, evaporato, calcinato, parata, calx est in acidis soluta amara purgans; sicca cretæ similis, nullius odoris, nullius saporis, albissima, serum tamen corporis movens, & lympham solvens, certo experimento, *HUNDERTMARK de Saccharo Saturni.* Sunt, qui inutilem dicant, haud certa auctoritate *NEUMANNI, IDEM.* Absorbens est, acido laborantibus utilis, cathartica, etiam pueris, a granis

nis quinque, ad decem, in lacte datur: adultis a drachma semis ad drachmas duas, unciam semis, HUNDERTMARK, etiam a drachma semis ad unam, cum aliis scopo absorbente, est etiam diuretica, sudorifera, in humorum acrimonia, minori dosi scrupuli unius, bis, ter, de die sumta, HUNDERTMARK l. c.

**NITRUM ANTIMONIATUM**, acido vitriolico, & parte nitri alcalina pro maxima parte constans, est arcanum duplicatum, nitro, & regulo inquinatum. Usus priorum.

**SAL PRUNELLÆ**, seu nitrum tabulatum, cum exigua sulphuris quantitate paratum, minus nitro refrigerat, ad anginas inflammatorias, gargarismatibus drachmæ semis vel unius dosi additum, valet.

**SAL POLYCHRESTUS**. Acido sulphuris, & basi nitri constans, sal enixum, resolvendi, & abstergendi, scopo datur, a granis decem ad viginti in pulvere: A granis viginti ad drachmam in libra decocti solventis.

**SPIRITUS NITRI ACIDUS**, omnium mineralium maxime causticus, corrosivus, dilutus dandus. Vide *Venena*.

**SPIRITUS NITRI DULCIS**. Ad sui dulcificationem maiorem alcoholis vim deposcit, quia acrior. Ad minimum quinque partes addi solent: bene custodiendus vase clauso, temporis successu etiam acrior evadit, ut sæpe de novo dulcificari debeat. Criterion, perfecte dulcificatorum salium acidorum, est



horum ab additis salibus alcalinis quies. Dosis a guttis decem ad triginta, de viribus alibi.

SAL GEMMÆ, MARINUS, FONTIUM

*Offic. MURIA Mineralogiae.* Classis Naturalis Minerarum. Ordo Salinarum. *German.* Berg-Saltz, See-Saltz, Brunnen-Saltz. *Gallicis* Sel gemme, Sel commun, Sel de Fontaine.

*Muria fossilis pura*, SAL GEMMÆ, *muria marina*, SAL MARINUM, *muria fontana*, SAL FONTIUM, definitur. Sitne sal marinum cum sale gemmæ idem, ut in *Actis Regiis Paris. 1702.* HOMBERGIUS? magna dubitatio. Sal marinum non a montibus salinis provenire, sed in mari continuo generari, iam dudum HIERNE monuerat.

SAL GEMMÆ purum, cubicum, semi diaphanum, aqua non facile solubile, ab alcali, fixo, aut volatili non præcipitatur; contra marinum, & fontanum, quod aqua illico referandum, alcali fixo, & volatili, ejicitur ex solutione alba: An quia hæc magnam vim alcali natura rudiori, & terrea præditi in se continent, dum proportionata magis in sale Gemmæ principia sunt, etiam intimius coniuncta? res sane plana est. Sal gemmæ solidum, modo album, cinereum, quale Polonicum, Transylvanicum, Hungaricum, modo rubrum, cæruleum, quale Hispanicum, ex fodinis, saxorum in morem, ferro excinditur. Coloratum omne metallicis partibus inquinatum est.

USUS eius in clysmatibus apoplecticorum, lethargicorum, ubi excitandum, stimulandum, revellendum, fa-

### III. INCIDENT. SALINA. 105

fatis efficax; a drachma una ad unciam semis, unam præscribitur.

SAL MARINUS per maria ubique distributus, maiori quantitate sub æquatore, minori sub polis reperiendus, triplici artificio, ex aqua marina, sole, igne, frigore, chemicam evaporationis operationem absolvantibus, obtinetur. Prima Hispanis, Portugallis, Cretenfibus, Gallis, familiaris methodus; altera solis Gallis, tertia septentrionalibus populis propria. Sal in lacubus, fossis, sole vel frigore chemicis, concretum, sapidius, & ad usum culinarium, & medicum excellentius habetur, excoctum igne deterius, amarior, quale etiam illud est, quod ex profundis puteis extrahitur, & tam nitrosa, quam bituminosa, & terrea materie inquinatum difficilius depuratur.

Sal Marinum modo antea dicto præparatum, etiam aliis additis despumatum, in crystallos albicantes cubicas concrefcit, tumque depuratum officinis vocatur; sunt vero, & in eadem hac quæstione sequentia momenta tenenda: scilicet depuratum hoc sal non adeo castum esse, ut non infectum adhuc aliis deprehendatur, ut frequenti puræ solutionis salis tartari fixi, quæ huius criterium, experimento MARGGRAFIUS docuit; & cubicam his salibus constantiorem figuram esse, licet tamen non perpetuam, nec essentialem. Sal Polonicum quod *Iarka* dicitur longis nitro simillimis crystallis constari & quod *Schibier* vocant rhomboidalibus coire LEHMANNUS auctor est, Sibiricum quod *Zagan Ijus* appellant crystallis nitro simillimis constare GMELINUS observat: esse etiam, ubi subinde figuram regularem crystallinam sal commune assumere renuat, CARTHEUSER habet.

Cæterum aqua marina diversis Sueciæ locis diversam quantitatem salis largitur, modo unam trigessimam, modo unam decimam sextam, modo unam decimam, SWEDENBORGII *Miscell.* vix maiorem ad littora Hollandica, ad Hispanica spectabilem. WALLERIUS *Hydrolog.* Cæterum increscit falsedo maris pro ratione decrescentiæ longitudinis dierum, & vicissim decrescit pro ratione crescentiæ longitudinis diei; siquidem in solstitio hyemali falsedo maris in sinu bothnico ea deprehendatur, ut ex 50 tonnæ aquæ, una salis obtineatur; in æquinoctio vero sive vernali, sive autumnali 150 tonnæ aquæ, in solstitio æstivali 300 aquæ, ad unam salis excoquendam vix sufficiant. Est pariter falsedo maris sub fluxu maior, quam sub refluxu, est etiam in alto mari maior, quam prope littora, WALLERIUS; & aquam ex superficie desumptam 35 sui ponderis partem, e fundo vero haustam 29 in salem largiri MARSIGLI *Hist. de l'Acad. des Sciences 1710,* testatur. Nec ea semper imprægnata est aqua marina falsis quantitate quam solvere valeat, vidit enim modo laudatus Comes MARSIGLI, aquæ marinæ eam copiam, quæ salis drachmas sex continere debuisset, adhuc alias quatuor cum dimidia solvisse.

PRINCIPIA. Hum acidum salis, quod aliqui simplex, alii vero duplex non exigua opinionum varietate pronunciant, subtilius hoc, aliud fixius statuentes. At certum est in sale marino depurato, & genuino unum solum, & simplex acidum deprehendi, & exemplum terræ virgultis, in ædibus gradatoriis, adhærentis non suppeditare acidi volatilioris argumentum, sed solum acidi marini basi terreæ laxè iuncti. Hum alcali minerale est, in depurato sale marino simplex; sunt etiam qui duplex statuunt genus alcali, unum terreum, aliud sa-

### III. INCIDENT. SALINA. 107

salinum, quod cum acido vitrioli tartarum vitriolatum, cum acido nitri nitrum cubicum efformet, dum simplex terra alcalina id nunquam facit. *Cl. PIETSCH Dissertation du Nitre qui a remporté le prix.* Est tamen in sale solum unum genus alcali, idque salinum. Experimenta *MARGGRAF* decretoria vide l. c. p. 167. seq. & est sal hoc alcali minerale distinctum ab omni sale alcalino fixo, *IDEM*, & a terra, quæ illi in non depurato sale marino fuerat coniuncta. Unde etiam crystalli cubicæ, hac eadem ablata adeo magnæ obtineri non possunt, quam hac præfente, & est posterior, seu depuratus sal marinus perfecte neuter, qui nec igne ipso videatur decomponi posse. *BAUME Manuel de Chymie.*

Cæterum sunt, qui sali communi aliquid terræ inflammabilis adhuc inesse, non absque fundamento suspicantur, referente *THUE Prod. Act. Havniens.* quod tamen alii minime perspiciunt. Fixum acidum an vitriolicum? an specificum? multa in utramque partem argumenta sunt *POTT. MACQUER.* Aliud magnæ teneritatis, & volatilitatis acidum est, cum iterata solutione sal commune cadaver terreum in experimento exhibeat, igni expositum sal commune per se acidum brevi dimittat, & sic omnem suum spiritum repetito opere largiatur. *POTT, Observ. Chem. coll. I. p. 9. MACQUER. Memoir de l'Acad. des Sciences 1738.*

PROPRIETATES eius quod spectat, in aere humescit, nitro etiam, quo plerunque inquinatur, promptius in aqua solvitur, in igne dissilit, crepitat cum fragore, & in pulverem gryseum fatiscit, tum sal decrepitatus dicitur; fortiori igne funditur, absque sui  
im-

imminutione diu superstes, alia fluida reddit, & illa in fluore conservat. Cum borace non ut alia salia spumat, quod magnam affinitatem indicat: alia prius dicta sunt. In corpore animali perstat immutatus, in urina demum demonstrabilis, tum, & in illis reperitur, qui nunquam assumpere, PORT, valide tamen corpus mutat, rigidiori stimulo febrim excitans, etiam acrimoniam muriaticam ponens.

USUS antisepticus, condiens, in œconomia humana, & medica multus, gangrœnam figit, fugillatas, contusas, quassas partes stimulat, extravasatos humores resolvit in fomento: additur adhuc stimulandi, & discutiendi scopo pulveribus includendis facculis, cataplasmatibus &c. Est etiam apophlegmatifan. Sale hoc imprægnata aqua, fere ad eadem valet, ad morbos glandularum persanandos eximia inventa, RUSSEL proprio libro *de aqua Marina*.

#### PRÆPARATA.

SAL DECREPITATUS aquæ vel maxime bibulus, cruribus hydropicorum calide applicatus utilis, sed usus eius cautus esse debet, quod facile exulceret; facculis Cephalicis plantis confectis cum succesu additur in Hydrocephalo.

SPIRITUS SALIS MARINI acido vitrioli expulsus, acidissimus, omni spiritu fossili acido subtilior, & penetrantior, putredini potenter resistit, in scorbuto aquatico oris, specificus, tripla aquæ quantitate dilutus, aut etiam purus pennicillo pustulis gangrænosus applicatus, L. B. VAN SWIETEN. Ad hernias olim in Galliis laudatus vino rubro sumtus,

GEOF-

### III. INCIDENT. SALINA. 109

GEOPEROY *Mat. Med.* effectus hodie non respondet; tum ad calculum renum dissolvendum & expellendum, in vehiculo convenienti, IDEM *ibid.* datur efficaciter in diarrhœis, dysenteris biliosis, putridis, dilutus in vehiculo ad gratam aciditatem.

Mixtura ex unciis duabus salis cum una olei vitrioli facta, superfusis duabus unciis olei terebinthinæ, destillata dat Spiritum salis oleo terebinthinæ mixtum, qui ab aqua purus redditus laudatur ut optimum topicum, quod arthritidem fixam, paralytim, & alios morbos sæpe curasse, & tumores duros calcarea materie refertos resolvisse fertur. *The Gentlemans Magazine for Sept. Decemb. 1752. 1753.* Cæterum pulmonibus plurimum insensum hunc spiritum FR. HOFFMANN *de Medicamentis Selectioribus* habet, & ad urinæ fluxum ciendum eo non præstantius aliud medicamentum. Spiritus salis pernionibus applicatus laudatur. *Recueil periodique &c.*

~ SPIRITUS SALIS DULCIS non eo cum alcohole coniugio, ac alia acida fossilia vitrioli, Nitræ iunctus in doloribus, spasmis, flatibus, egregie anodynus, etiam diureticus, a guttis decem ad triginta dandus, saccharo instillatus, vehiculo dilutus. Cum charta emporetica caute cuti applicatus hirsuticiem tollit, crines extirpat *Illust. ROSEN.*

SAL MIRABILE GLAUBERI; Sal enixum est, acido vitrioli iuncto basi salis communis decrepitati constans. Sal hoc minerale in acidulis martialibus reperitur STAHL *Spec. Becher.* In aquis mineralibus aliis HOFFMANN, HENCKEL, etiam naturaliter in sinu terræ est BOULDUG *Acad. des Sciences*

ces & in Tamarisco Narbonensi MONTE *Acad. des Sciences.*

Naturale, vel factitium, semper a Tartaro vitriolato diversum est, primo figura crystallorum oblongorum sexlaterum MACQUER, quadrilaterum & aliquando pentagonorum BOULDUÉ *Acad. des Sciences 1724.* in aere aperto facile fatiscunt IDEM, & alii omnes; secundo faciliori in aqua solubilitate, vide scalam solutionum salium. Tertio etiam aliis GLAUBERÒ recensitis proprietatibus discrepat.

PRINCIPIA eius patent: Sal mirabile GLAUBERI, ut alia taceam, eas omnes substantias metallicas præcipitat, quas oleum vitrioli solum dejicit, ut acidum vitriolicum adsit. Solutio basis huius salis cum spiritu nitri, dat nitrum cubicum, quod supra carbones, ut nitrum fundatur, BOULDUÉ *Acad. des Sciences a. c.* Cum spiritu salis, sal marinum verum IDEM.

Incidens hic sal est, datur a granis XX ad XXX & ultra adultis.

SAL DIGESTIVUS SYLVII. Falso sal commune regeneratum, ex acido salis in sale ammoniaco præsentem, iuncto alcali lixivioso tartari exurgit, distinctus est ab ipso sale communi ratione baseos, distinctione non adeo spernenda, ut credidere NEUMANN *prælect. Chem.* GEOFFROY *Acad. des Sciences 1720*, MACQUER *Chymie*; nam quamvis crystalli elixivatione & coagulatione obtentæ cubicæ, in igne ut sal marinum decrepitem, tamen etiam a sale marino discrepant, quod sublimati corrosivi sublimationem albidam præcipitent, & violarum tincturam viridi colore inficiant, acriori sint sapore, fluxu etiam in

### III. INCIDENT. SALINA. III

in igne celeriori, & aliis *POTTIO de Sale communi* dictis dotibus.

Acidum, quod huic sali communi regenerato inest, ab acido nitri certo expellitur, quod tamen non expellebatur ex sale communi, adeo facile in experimento *Cl. MODEL*, quippe acidum nitri, ardentius in amplexum alcali fixi vegetabilis, acidum salis in coniunctionem alcali mineralis ruit, *IDEM. de Borate p. 18.* sed etiam in hoc experimento paucum obtinetur nitrum cubicum *IDEM*, miro sane spectaculo! Experimenta *Cl. MARGGRAF* de sale communi regenerato, fere eadem sunt: ab acido nitroso obtinuit nitrum prismaticum, ab acido vitrioli tartarum vitriolatum, non sal mirabile, quod falso edixerat *NEUMANN*; tum & clara huius viri experimenta eam *Cl. MODEL* sententiam, scilicet acidum salis in coniunctionem alcali mineralis promptius, quam alterius cuiuscunque rapi, luculentius confirmant: dum enim sali communi calcareum commisceret lapidem, & huic calcem vivam adderet, instituta operatione nunquam potuit salis acidum in hæc, quæ cæterum amat corpora, deducere.

Quoad usum medicum sal hic multum laudatur in primarum viarum glutinosa saburra incidenda, etiam in febribus intermittentibus, sumptum bihorio ante paroxysmum, calefacto per theiformia corpore: dosis drachma una.

Ultimo demum nec id ignorari debet, plurima salia adhuc naturalia ex acri, sulphureo, lixivio, residuo in ahenis post coctionem, & crystallisationem salis communis, educi posse. Et quidem,

• Sal



1. Sal mirabile nativum.
2. Sal ebshamenfe nativum.
3. Sal quoddam, quod refert boracem & fal gemma.
4. Tartarus vitriolatus nativus.
5. Sal commune, cuius cryftalli fulgore ipfos æmulantur adamantes.
6. Sal commune referens fal ammoniacum.
7. Bona portio fpiritus falis fulphurei.
8. Sal feleniticum cum terra calcarea cruda.  
*THUE Prod. Art. Havniens.*

Ad hanc Clafsem pariter fpectant

SALES ALCALINI FIXI. *Vide Venena.*

SAL TARTARI *Ibidem.*

SALES ALCALINI VOLATILES. *vide Venena.*

SALES VEGETANTIUM USTULATORUM.

ABSINTHII.

STIPIT. FABARUM.

GENISTÆ.

SULPHUR ANTIMONII AURATUM  
*vide antim.*

TARTARUS VITRIOLATUS. p. 64.

TERRA FOLIATA TARTARI ex acido oleoso acetii, & alcali lixiviofo confans, alias etiam

### III. INCIDENT. SALINA. 113

etiam *Tartarus regeneratus*, *Arcanum tartari*, & *Sal essentielle tartari* dicta, saponis mirabilis species est, qui omnibus liquoribus miscetur promptissime, vel in ipso alcohole vini facile dissolubilis: qui omnia gummata resinosa, oleosa, viscosa, five animalia, vegetabilia, solvit optime, imo laccam, succinum, myrrham, tenacissima certe corpora, HUXHAM *de constitut. aeris*; qui brevi in aere deliquescit in liquorem terræ foliatæ tartari.

Sal hic medius, optimus habetur; albus, foliatus, instar Talcis splendens, ad attactum levis, unctuosus, saporis quidem pungentis, non tamen prædominans acidum aut alcali detegentis; qui alias dotes habet, male paratus est, brunus, oleum aceti ustum testatur, unde pessimus CADET *dans un Memoire lu à l' Acad.* Sunt vero notabiliora, rectæ huius salis cæterum difficilis, præparationis momenta:

- I. ut purum sal tartari in aqua frigida solvatur.
- II. ut collatura ad punctum saturationis, acido ex vasis vitreis, aut terreis destillato, saturetur; cuprea enim cupro acetum inficere possent, & hinc malæ qualitatis progenerare salem.
- III. ut collaturæ iam saturatæ acidum adhuc superaddatur.
- IV. ut leni igne absque ebullitione evaporatio ad pelliculam fiat.
- V. ut ulterior in balneo mariæ suscipiatur, eburnea spatula massam agitando, donec in spumam albam concesserit, quæ in furno calido magis exsiccanda veniat CADET *ibidem*.

*Crantz M. M. T. II.*

H

Cæ.



Cæterum non adeo volatilis est, ut multi credunt, imo eousque igni resistit, donec omne fere acidum evaporetur tandem, sale solum alcalino fixo manente, HUXHAM.

Ultimo & id notari meretur, Arcanum tartari a Tartaro regenerato non distinctum plurimos contendere, imo ipsum iam id edixisse TACHENIUM; horum tamen diversam naturam patefecit in processu cum oleo vitrioli instituto *Cl. Vir POTTIUS disq. unionis acidi Vitriol. & acid. tartari germ. Berolini 1761.* Equidem illico vehementem cum arcano tartari conflictum iniit oleum vitrioli, & aperto fumo in aera rapiebatur, tum instituta destillatione maxime concentratum cum albidis vaporibus acetum destillatum transiit, oleo brunno in fine sæpe exceptum, quæ tamen in tartaro regenerato non observantur.

USUS MEDICUS. Multum multis deprædicatus ad lentos pituitosos humores dissolvendos, obstructions referendas. Dosis a granis quindecim ad triginta in haustu decocti solventis; vix ullam habet acrimoniam hoc remedium, æque tuto pleuriticis, ac hydropicis exhibendum, HUXHAM. Huc etiam revoca lapides cancerorum aceto, vino solutos, speciem salis medii facientes.

TARTARUS TARTARISATUS ex acido tartari, & sale lixivioso factus, parum a terra foliata tartari diversus, in aqua, & spiritu vini solubilis, salibus mediis aliis tenerior, hæc etiam virtute superat, in ictero, viscerum obstructionibus, eadem dosi; huius medicamenti egregium multiplici experimento effectum, omnibus aliis incassum adhibitis in melancholia invenit *Cl. Vir MUTZEL,*

SAL

### III. INCIDENT. SALINA. 115

SAL SEGNETTI ex acido tartari, & alcali fo-  
dæ crySTALLIFATUM in aqua facillime solvitur, etiam frī-  
gida in pulverem redactum; carbonibus ardentibus  
inspersum funditur, & ebullit demisso tartari usti odo-  
re; in aqua calida soluto, si paucum olei vitrioli af-  
fundatur, cremor tartari crySTALLIFATI, & sal mirabile  
GLAUBERI obtinentur, BOULDUAC *Acad. des Scien-  
ces 1731.*

USUS & dosis præcedentium.

SAL VEGETABILE ex acido tartari, & basi  
falis marini, alcali minerali, crySTALLIFATUM, MACQUER,  
crySTALLIS parallelepipedis planis, in Gallia multum in  
usu: dosis eadem.

TARTARUS SOLUBILIS ex acido tartari, &  
sale urinoso conflatus, cum sale secreto GLAUBERI  
multam affinitatem habet, facile in aere diffluit, in ipso  
spiritu vini solubilis, etiam in igne femi volatilis est.

Aliæ adhuc species tartarorum solubilium aliis factæ,  
ex acido tartari & alcali Boracis, LE FEVRE, LEME-  
RY *Acad. des Sciences.* Cum calce, creta, ostracoder-  
matis calcinatis, non calcinatis, DU HAMEL, BOUL-  
DUC, GROSSE. Omnes vero solubiles tartari, facti  
crySTALLIS tartari & sale alcalino, omnibus acidis decom-  
ponuntur, nequidem acido aceti excepto, & resusci-  
tantur crySTALLI tartari, manifesto argumento basi  
adoptivæ laxius cohærere acidum tartari, propriæ,  
quam nunquam in totum deserit arctius. Ex his intel-  
ligitur, hæc salia cum aliis acidis, tamarindis, aceto &c.  
nec in mixturis, nec in decoctis præscribi debere, cum  
adeo facile decomponantur.

H 2

Hæc

Hac vero facilitate solubiles tartari etiam aceto decomponuntur, ut docetur in *Act. Acad. Scienc. 1733.* & omnium quidem facillime

- |       |  |
|-------|--|
| I.    | Tartarus solubilis cum cineribus factus. |
| II.   | - - - cum Creta compositus.              |
| III.  | - - - ostrocodermatis non calcinatis.    |
| IV.   | - - - cum calce.                         |
| V.    | - - - ostrocod. calcinatis.              |
| VI.   | - - - sale tartari.                      |
| VII.  | - - - cum soda.                          |
| VIII. | - - - cum Borace.                        |

Cæterum sunt etiam ex his, qui in aere liquefcant, ut numero V, VI, *ibidem.*

TINCTURÆ horum *Simplices & Compositæ.*

TINCTURA TARTARI sale tartari, & spiritu vini constans, antacida, aperiens: dosis a guttis decem, ad triginta in vehiculo.

TINCTURA MARTIS TARTARISATA.

TINCTURA ANTIMONII cum liquore nistri fixi vide *antimon.*

MERCURIUS. Varia eius præparata. vide *Sialogoga.*

AQUÆ MEDICATÆ SALINÆ. vide *purgant.*



EX

## EX ANIMALIBUS.

FORMICÆ *Off. Entomologorum.* Clāssis Naturalis Insectorum. Ordo Hymenopterorum. *Germ.* Ameisen. *Gallis* Fourmis. *Anglis* Pismire.

FORMICA *thorace compresso, ferrugineo, capite, & abdomine nigris,* contrita odorem penetrantem spirat, examine chemico inter omnia animalia maximam acidi vim largitur HOMBERG. *Acad. des Scienc.* 1712. licet duplex sal habeat, acidum unum, alcalinum aliud, HIERNE.

Unciæ tres formicarum mundarum 1mo. unciam dimidiam liquoris aciduli. 2do unciam dimidiam liquoris pellucidioris, magis acidi. 3tio tres drachmas liquoris clarioris, etiam magis acidi. 4to spiritum minus acidum, cui iam olei, & salis volatilis aliqua pars admixta erat. 5to Sal copiosum in collo retortæ, largiuntur. Oleum æthereum inesse NEUMANN, etiam MARGGRAF, *Acad. de Berlin* 1749. spiritu vini tartarifato solum solubile, phosphorum solvens, non acidum: etiam aliud unguinosum, pressione eliciendum, omni dote aliis oleis pressis simile. Acidum harum sali alcalino mixtum, salem medium constituit. Cæterum formicarum ova fere matura, ut etiam iuniores formicæ acidum non largiuntur NEUMANN.

H 3

USUS

USUS MEDICUS, totius nidi cum insecto, in paralyfi, artuum tremore, atrophia, in balneo utilis, interne spiritus formicarum acidus magnum stimulans iisdem morbis, & ubi in parte, vel toto motus augendus, valens, gutt: viginti, ad quadraginta dosi. Externe etiam dolentibus a rheumatismo, arthritide partibus in declinatione illinitur.

LUMBRICI.

MILLEPEDES.

Huc refer ex diversis naturæ Regnis petita olea empyreumatica, quorum nonnulla interne, & externe administrari possunt; talia sunt

OLEUM SUCCINI.

LIGNI GUAIACI.

BENSOINI.

EBORIS.

UNGULÆ ALCIS.

CORNU CERVI.

SANGUINIS.

ANIMALE DIPPELII.

Atque hoc quidem ultimum, oleum est sanguinis vel cuiuscunque animalis partis empyreumaticum, destillatione solitaria duodecies abstractum, ad spiritus prope modum subtilitatem deductum.

Multum olim laudavit Author in epilepsia, arthritide vaga, podagra; utile in iisdem morbis etiam recentiores  
com-

comprobarunt; ita in tuberculis post morbos arthriticos, in exostosis, tophis, induratis glandulis, epilepsia symptomatica, & morbis spasticis, tam interno, quam externo usu BAUMER *Act. Acad. Mogunt. T. I.* Oculi suffusionem incipientem, eo curatam, confirmatam imminutam, IDEM *Ibid.* Anodynum esse, & placidum somnum, etiam per viginti quatuor horas inducere cum euphoria, HOFFMANN *Observ. Physic. Chemic.* Post hos anodynum, antispasmodicum, discutiens, diaphoreticum, tam interne a XV. ad XXX. guttas datum, quam externe spinæ dorsi inunctum. Cl. VENEL in *Quaestione IV. pro Cathedra Medica vacante Monspeliensi*, dixit.





---

CLASSIS SEPTIMA  
INSPISSANTIUM.

---

Quæ nimiam humorum fluiditatem, tenuitatem emendant, INSPISSANTIA, seu INCRASSANTIA dicuntur, quæ horum acrimoniam involvunt, OBVOLVENTIA, seu OBTUNDENTIA: quæ vero ficcos nimium solidorum parietes, & asperos lubricant, LUBRICANTIA, seu OBLINIENTIA proprie dicuntur.

Usum prima habent, ubi signa docent humores adeo tenues esse, ut vasis suis coerceri nequeant, quales sunt hæmorrhagarum, sudorum profusiorum, Diabetis casus; Alia indicantur, ubi humorum acrimonia solutionem fluidorum facit, & vasorum erosionem minatur; alia in aliis circumstantiis requiruntur.

Triplicis huius Classis auxilia pro re nata ex diversis petuntur, & I quidem

---

EX PLASTICIS

ALTHEÆ Rad. Decoctum p. 4. & Rad. Sp. & fruct. tti. - Ant.

AVENÆ Decoctum P. I. p. 2.

CACAO Off. THEOBROMA Botan. Classis Naturalis Pauci-flam. omnibus Cacao.

THEOBROMA foliis integerrimis, fructum largitur multum oleaginosum, nunquam rancescentem,

tem, tostum nutrientem, acrimonia laborantibus, tabidis, senibus, utilem. Inde butyrum, & cocholada: butyrum ebullitione ex fructu tosto elicitur, raro rancescit & præ reliquis oleis pinguibus, id habet, quod consistentiam non amittat, etiam magis album fiat.

Reeens anodynum acrimoniam involvens, morbis pectoris asperis utile, cum saccharo in formam tabularum redactum. Cocholadæ compositio nota est, ipsa reficiens, nutriens, restaurans.

CANNABIS *Semen* p. 5.

CYDONIORUM *Semen, Mucilago*, P. I. p. 42.

DACTYLI P. I. p. 44.

EMULSIONES *saturatae*.

FICUS P. I. p. 44.

FARINOSORUM *decocta*.

AVENÆ.

CICERUM.

FABARUM.

HORDEI.

LENTIS.

OROB.

SECALIS.

TRITICI P. I. *vid. cereal. legum.*

GELATINÆ ANIMALIUM.

CORNU CERVI.

EBORIS.

PEDUM VITULINORUM.

H 5

GE.

## GELAT. VEGETABILIMUM

## FRUCTUUM.

GLYCYRRHIZÆ *Radicis Decoctum* vide p. 124.

GUMMI ARABICUM *Offic.* MIMOSÆ

*Botanicorum.* Classis Natur. Incomplet. *Germ.*  
Arabisch Gummi. *Anglis* Gum Arabic. *Gallis*  
Gomme Arabic.

GUMMI ARABICUM arboris adstringentis, mollis succus, pellucidus, ex albo flavescens, aqua totus solubilis, oleis & spiritu vini non solvendus, prorsus mucilaginosus, insipidus, tenues humores inspissat, acres involvit, abrasum oris, œsophagi, ventriculi, intestinorum, mucum restituit, ob id in omni acrimonia valet, præprius in tussi acri, cardialgia, singultu, colica, diarrhœa, dysenteria ab erosione mucii, & acri, itidem in ardore urinæ, vel in pulverem contusus, vel in vehiculo solutus, drachmæ semis, unius pondere.

Notari meretur, industrium virum BOGLE FRENCH Pharmacopœum Londinensem nuper artificia, olea, resinas, & pingues alias substantias aquæ miscendi, ope mucilaginis gummi arabici, tum sola agitatione commixtorum in phiala, tum trituratione, docuisse, horumque unionem pertinacem satis esse, adiecto syrupo. *Medical observations and inquiries &c.* T. I.

Est vero rerum harum talis modus, ut si mucilaginis gummi arabici drachmam unam, olei olivarum, vel amygdalarum dulcium, vel lini drachmas duas sumptis, & in mortario commixtis sensim aquæ unciam unam affuderis, emulsionem veram obtineas; item si  
par.

partes æquales mucilaginis & balsami copāivæ sumpferis, trictis subactis aquæ unciam unam addideris, emulsionem etiam obtineas. Camphora, & Moschus eadem methodo facile subiguntur & forma liquida exhibentur. Cæterum non aliud gummi æque efficax observatum ac gummi arabicum, siquidem cum gummi tragacantha non successerit experimentum; & notari adhuc meretur mixtionem aut acido aut medio sale non turbari, turbari vero adiecto alcalino.

**GUMMI CERASORUM** *Offic. Botanicorum.*

Classis Naturalis Calyciflorarum. *Germ.* Kirschenbaum Glibber.

Ex Ceraso *foliis ovato lanceolatis*, stillans rubellum, insipidum, eiusdem, ac præcedens gummi, virtutis est. Notari ea meretur ab HASSELQUIST facta observatio, plus centum homines obsidione cinctos, per duos fere menses absque alio cibo, solo hoc gummi in ore liquefacto & deglutito vitam sustentasse. Gummatum analysis exhibuit multum aquæ, acidi, paucum olei, aliquid alcali volatilis, & in carbone alcali fixum. **MACQUER.**

**GUMMI TRAGACANTHÆ** *Offic.*

**ASTRAGALI** *Botanicorum.* Classis Naturalis Leguminosarum. *Germ.* Tragacanth Gummi. *Anglis* Gum Tragacanth. *Gallis* Gomm Tragacanth.

**ASTRAGALUS** caudice arborecente, petiolis spinescentibus, vermiculatum hoc gummi, flavum, quod purissimum, album, quod aliis commixtum exhibet, in iisdem ac priora laudatum, eadem dosi. Collyriis etiam additur solutum, forma mucilaginis.

**HOR.**

HORDEI *Decoctum*, *Cremor* P.I. p. 3.

ICHTHYOCOLLA *Offic.* Classis Artefacto-  
rum ex Piscibus. *Germ.* Hausen-blasen. *An-*  
*glis* Hinglas.

Ex *Acipenseris tuberculis carentis*, pinnis, intesti-  
nis, corio, excoctum gluten est, quod refrigeratum in  
pelliculas deductum, & in spiras coactum proflat.

Admodum glutinans & inviscans, tenues, & acres  
humores est; in dysenteria, tum præsentem acrimoniae, tum  
abrado mucosum, utile, solutum per os potum, per anum  
pauca quantitate iniectum: ex ovis huius amphibii natis,  
*Garum* conficitur.

IUIUBÆ.

LIQUIRITIA *Offic.* GLYCYRRHIZA *Bo-*  
*tanicarum.* Classis Naturalis Papilion. *Germ.*  
Süßholz. *Gallis* Reglisse. *Anglis* Licorice.  
*Italis* Regolitia.

GLYCYRRHIZÆ *leguminibus glabris*, radix lu-  
bricans, mucilaginosa, grata, acrimoniam omnem  
contemperat, humores inspissat, & exasperatas partes  
lenit, demulcet: unde in tussi acrimoniae, tenui, utilis, in  
stranguria, nephritide valens, etiam rheumatismo la-  
borantibus recommendata. Mixtum pulpæ cassiæ, vel  
etiam terebinthinæ coctæ glycyrrhizæ pulverem, in  
calculo multum laudat SIMON PAULI. Decocta  
amarefcit. In filamenta divisa, vel rasa, unciæ semis,  
unius dosi, infunditur sæpius, drachmarum duarum  
pondere aliis adiicitur: dosi pulveris, scrupulus, dra-  
chma periculosa haud est.

MAL-

MALVA P. I. p. 24. 25.

OVORUM ALBUMEN, præterquam quod gelatinosum, adhuc nutriens est, conquassatum aqua dilutum, in acrimonia, dissolutione humorum, interne dari potest: illinitum externe acrimoniam, & ardores compescit: inungere conquassato albumine manus & brachia obstetricantes solent, dum venereis opitulantur, ne lue afficiantur. Albumen conquassatum in spumam, aqua graminis commixtum, mane & vesperi ad uncias quatuor assumptum, insigne arcanum ad icterum, milles probatum LANZONUS *Ephem. Decad. 3. Anno II.*

OVORUM VITELLUS. Saponaceus, pinguis magis, acrimoniam involvit, interne datus: digerit, & maturat, externe cum terebinthina, balsamis, & resinis subactus, dein applicatus, hæc enim corpora omnia solvere solet.

PINI NUCES. P. I. p. 51.

PISTACHIA P. I. p. 52.

SARSAPARILLA. *Offic.* SMILAX *Botanicorum.* Classis Naturalis Incompletarum. *Germ.* Steckende Winde. *Anglis* Scharpe - Smilax. *Gallis* Liferon epineux.

SMILAX caule aculeato, angulato, foliis inermibus, ovatis, retuso-mucronatis; saponacea, involvens, glutinosa, morbis arthriticis, rheumaticis utilis, etiam in lue venerea deprædicatur. Experimenta dissentiunt. Radicis dosis in decocto uncia semis, una, in pulvere drachma semis, una. Experimenta nuper repetiit FORDYCE *Medical Observations and Inquiries* T. I. & hanc ad dolores capitis venereos, & nocturnos laudat.

dat. Tum in scabie venerea, similibusque ulceribus cum mercurio iuvare, valere in emaciatione venerea, & luem, quæ mercurio, & aliis sanari non potuisset, hac curatam, etiam a mercurio relicta mala eadem auferri, observavit. Est vero hic Clarif. Viro, medicamento exhibendi modus: Radicis recentis succulentæ uncias tres infundit tribus mensuris aquæ fluviatilis, coquit ad libras duas, addito sub finem radicis glycyrrhiæ momento, exhibet calide, vel frigide per duas, tresve vices intra viginti quatuor horas; cæterum nihil nisi abstinentiam a vino imperans p. 149.

SCORZONERA. P. I. p. 32.

SEBESTEN *Offic. MYXIS Veterum*, Classis Naturalis . . . *Germ.* Schwartzte Brust-Beerlein. *Anglis* Sebesten.

MYXIS *foliis subovatis, serrato-dentatis*. Drupa, officinalis, mucilaginosæ, acrimoniam obvolvens, morbis pectoris dicata, valet in raucedine, tussi. Præscribuntur Nro sex, duodecim, viginti, etiam maiori quantitate, vel soli, vel cum iuiubis forma thee, vel decocti. Laudant etiam aliqui in stranguria.

SILIQUEÆ DULCES. P. I. p. 59.

SPERMA CETI *Off. Hist. Natur. PHYSETER*. Classis Naturalis Mammalium. Ordo Cete. *Gallis* Blanc de Baleine. *Anglis* Parmasitty. *Germ.* Wallrath.

PHYSETER *Macrocephalus dorso impenni, fistula in cervice*, ex cerebri ventriculis hoc medicamentum largitur, multum olim contestatum, omnium optime descriptum Illustri DUDLEY *Philosoph. Trans.* Nro. 387. p. 258.

p. 258. adeps, seu oleum cerebrale est huius animalis: adiecto lixivio alcalino parari, ANDERSON. Sincerum album, dulce, recens, flavum rancidum est.

USUS MEDICUS demulcens, balsamicus, sarcoticus, in morbis asperis pectoris, intestinorum, viarum urinarum, aliarum partium exulcerationibus: datur lactantibus grani unius, duorum, quatuor, octo, dosi, adultis a scrupulo semis ad quatuor, forma boli, electuarii, cum conservis &c. forma linctus, eclegmatis, cum syrupis, forma mixturæ cum vitello ovi, mucilage gummi arabici, additis syrupis; in ultima autem hac præscriptione, id tenendum est, subactionem spermatis ceti cum mucilage gummi arabici, & longe gratiorem ea esse, quæ cum vitello ovorum fiat, & minus ranciditati subiectam esse, cum & ipse ovorum vitellus rancescat. Cæterum potest adhuc sperma ceti cum mucilage gummi arabici subactum in pastam coigi, sicque deinde aqua solutum emulgeri.

Externe solutum in oleo amygdalatum dulcium sperma ceti, crustis variolosis exsuccis iunctum, emollit & a cicatricibus præservat. QUINCY.





---



---

## II. COAGULANTIA.

ACACIÆ GERMANICÆ *Fructus* p. 13.

VERÆ *Succus* p. 40.

**A**LCOHOL nihil aliud est, quam oleum essentialle, ex vegetabili fermentatione generatum, attenuatissimum intime aquæ nuptum, & nova destillatione superflua dephlegmatum. Est tamen sæpe etiam post multas curas adhuc aquosum, quod ex octo unciis alcoholis, uncias quatuor, drachmas tres phlegmatis adhuc obtinuerit GEOFFROY. *Acad. des Sciences* 1718. In spiritu frumenti novem aquæ partes ad quinque spiritus, in spiritu vini gallici septem aquæ ad novem spiritus habentur, SHORT. Libra una spiritus vini ordinarii uncias novem aquæ, & libra una spiritus vini *a preuve d' Huile* quinque, PEYRE. *Assemblée publique de la Société Royale des Sciences de Montpellier* 1749. qui etiam docet ibidem e vino, absque ignis adminiculo, spiritum educere. Quanquam vero variis modis rectificari spiritus vini possit, ignorari non debet, etiam antliæ pneumaticæ beneficio, eius rectificationem obtineri, & educto aere spirituosum maxime vini spiritum in vas recipiens depluere.

Cæterum spiritus vini alcoholis usus Pharmaceuticus multus: resinosorum, & oleosorum corporum familiare menstruum: non tamen solvit olea pressa, si non destillata, & quo magis cohobata, eo etiam solvit facilius, perfectiusve, MACQUER *Acad. des Sciences* 1745. contra olea stillatitia, quo magis rectificantur, eo difficilius in spiritu vini solvuntur, IDEM.

Ad-

Adhæc alcohol arsenicum recipit BRAND, plurima salia media deicit, causticum ex calce & salibus alcalinis fuscipit, quo coloretur, fuscipit etiam ipsam alcali vim mediante caustico, quo ultimo tandem destruat, ut in tinctura Antimonii, & tinctura tartari officinarum id observatur, dum temporis successu, & ad fundum, & ad latera vasis, in extractiformem substantiam decompositum alcohol deponitur, quod facile in aqua, difficulter in spiritu vini solvatur, & extractum gummosum potius, quam resinofum habeatur. MEYERS. l. c.

USUS ALCOHOLIS MEDICUS internus rarus, serosos tamen humores coagulat, solida crispat, etiam a putrefactione præservat. Externus chirurgis plurimus, ad stillicidia lymphatica, vasa humores perpluentia, corruganda, hæmorrhagias fistendas. Rara est in *Actis Anglicanis* 598. Nro. observatio, spiritum vini forma enematis datum inebriare longe magis, quam per os potum.

ALUMINA: horum solutio. p. 51. 52. 53.

CYDONIA. P. I. p. 42. 43.

Adde his omnes alios fructus immaturos.

FERRUM acido solutum.

HÆMATITES LAPIS p. 69.

HYPOCISTIDIS SUCCUS p. 41.

LACCA GUMMI. P. I. p. 170. Tinctura cum alumine ad ulcera laxa, vacillantes dentes, utilis.

MALICORIUM p. 20.

Crantz M. M. T. II.

I

QUER-

QUERCUS, *Folia, Glandes, Cupulæ.* p. 17.

SULPHURIS SPIRITUS. p. 143.

VINA AUSTERA.

VITRIOLUM MARTIS, SPIRITUS.

p. 53. seq.

## ANTACIDA.

Quæ acrimoniam acidam corrigunt, talia habentur. Acidum infantum his corrigitur, maxime vero diætâ animali nutritis.

VICTUS fit ex ovis, carnibus, piscibus, cancris, cammaris, maxime vero cancrorum & cammarorum iusculis, de quibus in Bononiens. scientiar. & Art. Institut. T. 2. P. I. Cl. viri BECCARIUS & MONTIUS experimentis institutis reliquere, ab his syrupum violarum viridescere magis, quam ab aliis; hinc crustaceorum iura ad sales acidos emendandos esse aptissima. Est præterea in hac acrimonia in usu plantarum antiscorbuticarum, vel similium, asparagi, brassicæ, naporum vis.

POTUS optimus aqua.

## ABSORBENTIA.

DENTALIUM TESTÆ *Off.* Obsoletæ.

CANCORUM CHELÆ *Off.* *Entomologorum.* Classis Natur. Insectorum, Ordo Aptero-  
rum. *Germ.* Krebs Klauen. *Anglis* Crabs elaios.

CANCER *brachiurus*, *manuum digitis atris*, suas officinis chelas, quas præparant, concedit, insipidas, calcareas, absorbentes, lapidibus cancrorum inferiores. Dosis a granis quindecim ad quadraginta.

CAN.

CANCORUM LAPIDES *Off. Entomologorum.* Classis Naturalis Insectorum. Ordo apterorum. *Germ.* Krebs - Augen. *Anglis* Crabs eyes.

CANCER *macrourus, rostro supra ferrato, basi utrinque dente simplici,* lapides hos, quos vulgo oculos esse credebant, ventriculo accretos habet. Inter illa, quæ acidum absorbent, pulverati principes, omnibus aliis, quibus facile carere possumus, palmam præripiunt; acido saturati salis enixi solubilis vires consequuntur, potenter resolventes, ut etiam indurati testes, & alii tumores, his vino acido solutis resoluti L. B. VAN SWIETEN, *visi.* Diuresim augent omnium observatione, alvum nonnullis, si vel acido in primis viis hærenti occurrant, vel in acido fumantur, movent. In mixtura HOFFMANNI acido aceti soluti, temperantem, blande resolventem vim exerunt, in febribus non tantum sane, quantum drachma nitri, vel alterius salis medii, movent. Aceto saturati, vitrioli superaddito oleo, in destillatione dant spiritum acidum, fugacissimum, nares ferientem penetrabilissimo odore L. B. VAN SWIETEN Tom. I. Dantur præsentem acido in corpore per se, a scrupulo uno ad duos, quandoque etiam acido citri saturati, aceto, vino soluti, in aliam indicationem resolventem, in actu effervescentiæ cum succo citri sumpti vomitum compescunt, HEISTERUS. Supra porphyritem in impalpabilem pollinem redacti, non semper tuti, cum glutinosis enim in massas difficulter resolubiles abeunt L. B. VAN SWIETEN T. I. Sæpissime rachiticis profunt, quin etiam hunc morbum superant continuo usu, quod & ostracodermata faciunt.



COCHLEÆ TESTÆ reiiciendæ, dari tamen in pulvere possunt pro præservatione calculi renalis; hoc aliquoties in septimana dato, nihil deprehenditur præstantius, HOFFMANN. Nec hoc loco prætereundum est *Hieronymi ZANICHELLII*, quod *Cl. MORGAGNI* concredidit arcanum, & quod *Epist. Anat. Medic. XLVII. Artic. 7.* ita describit: Cochleas ex parvulis istis, & albicanibus, quæ super Carduo stellato inveniuntur, exacte una cum testis in mortario contundi iubebat, additaque modica portione conservæ violarum in linteo suspendebat, liquorem, compressionis etiam ope, descendente excipiens. Huius liquoris satis recentis uncias tres mane, totidem meridie ante prandium, totidemque vesperi ante cœnam propinabat, cum a dissoluto sanguine, & irritantibus particulis fœto nimium ipsius ex utero cursum fieri censebat. Ea autem felicitate, confirmabat sibi hunc, liquorem respondisse, ut ad sanguinis etiam expectorationem, si ab iisdem causis fieret, compescendam transtulisset.

CONCHÆ. OSTRACODERMATA *Offic.*  
*Hist. Natur.* Classis Vermium, Ordo Testaceorum. *Germ.* Austerschalen.

OSTREA testa semi orbiculata, valva altera plana, altera elatiore, suam officinis domum largitur, calcaream, absorbentem, rapsatam cum succo citri effervescentem; in eandem indicationem dantur pulverisata, etiam præparata, granorum viginti triginta dosi contra acidum. Calcinata acriora, omnis humidi magis bibula, lithonriptica habentur. A calce e vino sumpta hydrophobia curata. *Acad. des Sciences 1749.*

CO-

CORALLIA ALBA *Offic. Hist. Natur.* MADREPORA. Classis Vermium. Ordo Lithophytorum. *Germ.* Weiße Corallen.

MADREPORA *alba, oculata, stellis distiche alternis*, lenem absorbentem, & adstringentem vim habet: calx usta magis bibula.

CORALLIA RUBRA *Offic. Histor. Natur.* MADREPORA. Classis Vermium. Ordo Lithophytorum. *Germ.* Rothe Corallen. *Anglis* Red Coral.

MADREPORA *rubra, stellis parvis, obsoletis, lateralibus*, quandoque in maioribus ramis corticalem substantiam dimittit; etiam calcarea, absorbens, martialis aliquid habet, *GEOFFROY Acad. des Sciences 1708.* Magisterium & syrupus abesse possunt, dum præparatione vis infringitur *Hist. de l' Acad. des Sciences 1710.* Spiritus Cerae, spiritus mellis rectificati, crudus citri succus coralliorum tincturam extrahunt, quod spiritus vini non potest. Recentium coralliorum succus lacteus alcalinus est, cum acido salis & nitri vehementer effervescent *Hist. l' Acad. des Sciences 1710.*

CORALLINA *Offic. Hist. Natur.* Classis Vermium. Ordo Zoophytorum. *Anglis* Coralline.

CORALLINA *trichotoma, articulis cylindricis, terminali-ovato.* Salsa, absorbens, subadstringens, anthelminthica habetur. Datur a granis viginti ad drachmam, vel in aqua, vel in lacte.

CRETA.

LAPIS HEMATITES, absorbens, magis tamen adstringens p. 69.

MATER PERLARUM lapidibus cancerorum non utilior.

MARGARITÆ repudiandæ: nulla docuit observatio pretiosas margaritas ad usum absorbentem præferri debere vilibus cancerorum lapidibus, L. B. van SWIETEN *Tom. I.*

OLEA mollissima infantibus acido laborantibus profunt, L. B. van SWIETEN *Tom. I.*

OSTRACITES *Histor. Natur.* Classis Concretorum. Ordo Conchyliorum fossilium. *Germ.* Versteinerte Austerchalen.

OSTRACITES, fabulo, lapillulis nephriticis, drachmæ semis, unius dosi, in vino albo cum floribus chamomillæ sæpius profuit, HOME *Trans. Philosoph.* Nro. 250. In nephritide fabulosa, cum semine saxifragæ expulit multos, exiguos, calculos, cum dolorum levamine, Dr. CAY, *ibidem.*

OSSA animalium calcinata.

Piscium, mandibula lucii piscis &c. reiicienda.

OS SEPIÆ *Offic. Histor. Naturalis.* Classis Vermium. Ordo Molluscorum. *Anglis* Skuttle-fish. *Germ.* Weißes Fischbein.

Ex sepia corpore ecaudato marginato, tentaculis duobus, os & atramentum habemus. Os saporis terreo falsi, calcinatum omnis humidi, hinc & acidi bibulum, absorbens, & adstringens est, in gonorrhœa, & fluore albo laudatum.

SANGUIS DRACONIS p. 42.

SALES ALCALINI fixi, & volatiles. Vide *Venen.* Acidulorum vinorum abusus podagram fecit, alcalino-

linorum parco, & repetito sæpius usu, sanatam, L. B.  
van SWIETEN. *Tom. I.*

SAPO VENETUS. Vide *antidota*.

His omnibus iungendus moderatus corporis motus,

---

## ACRIMONIÆ ALCALINÆ CONTRARIA.

Quæ vel alcali assumptum, vel vitæ vi generatum,  
invertunt; talia dicuntur. His per sua signa co-  
gnitis, indicatur

Victus ex acescentibus, lacte, fero lactis, fructibus  
horæis, farinosis acescentibus, potulentis similibus, ce-  
revisia, vinis acidiusculis, imprimis vero lacte, fero  
lactis, de quo testatur MOLLENBROCCIUS, agrestes  
Frisios, & Batavos, quotidiano feri lactis usu, a scor-  
buto patrio sese munire & liberare.

---

## EX VEGETABILIBUS.

ACACIÆ Succus p. 40.

ACETOSA *Offic. P. I. p. 17.*

ACETOSELLA *Offic. OXYS Botanicorum.*

Classis Pauci-stam. *Germ. Sauer-klee. Gallis*  
*Petit Oseille. Anglis Wood-Sorrel.*

OXYS *trifolia, radice articulata, scapo unifloro, aci-*  
*dula, refrigerans, sale essentiali acido prægnat,*  
*acetosa gratior, minus austera, manipulo uno, duobus,*  
*in libra feri lactis infunditur, vel leniter decoquitur,*  
*utilis in acrimonia alcalina, febribus putridis: datur*



etiam succus unciæ semis, unius dosi. Sal essenziale acetofellæ acidum, ad drachmam semis. Hoc sal etiam acida fossilia separat a sua basi, unde nitrum antimoniatum cum sale acetofellæ, haud præscribendum. *Commentat. varii Argumenti, Germ.*

ACETUM vide *antidota*.

AURANTIORUM ACIDORUM *Succus*

P. I. p. 36. sq.

BERBERIS *fructus, Decoctum* p. 15.

CERASA ACIDA P. I. p. 38.

CITRI *Succus* P. I. p. 39.

OMPHACIUM P. I. p. 60.

PICIS AQUA P. I. p. 205. hic indicatissima.

TAMARINDI vide *purgantia*.

TARTARUS *Offic. Historiæ Naturalis*. Classis Salium Essentialium. Ordo natura productorum. *Germ.* Weinstein. *Gallis* Tartre. *Anglis* Tartar.

TARTARUS sal acidus essentialis vini, parte terrestri, & oleosa inquinatus, duplex, vel albus, vel rubellus, e vinis acore præditis maxima copia ad latera dolii deponitur.

Acidum tartarum est, tum sapor indicat tum solutio depurati tartari cum solutione lacmus rubescens, & cum alcali fixo effervescens, ut id præparatio tartari tartarifati evincit. Aliud eius terreum principium evidens est; & tertium, quod in igne flagret, facile patescit oleosum. Sed an non est constitutum tartari principium

pium aër? hic illi incredibili semper quantitate inest & impetuofos illos vapores sub destillatione tartari ascendentes, rarefactus efficit, quos ab actione acidi in terram & oleum deduxit NEUMANNUS.

Qui per destillationem tartari per se obtinetur spiritus, manifeste acidus non est, quia oleo eiusdem dulcificatus; rectificatus vero omnia acidi signa habet, cum calce viva tractatus etiam urinosum largitur nova combinatione productum ut in sale tartari exemplum: cum spiritu tartari fumat spiritus Nitri ob particulas oleosas in spiritu tartari praesentes WALLERIUS in HIERNE.

Cæterum omnis tartarus ut figuram crystallinam acquirat, solvitur; filtratur, evaporatur. Datur a scrupulo semis, ad unum, in acrimonia alcalina, bilis putredine &c.

## PRÆPARATA.

CREMOR, & CRYSTALLI TARTARI, eadem operatione ex tartaro depurato fiunt; Cremor sola coctione, ex supernatante pellicula salina colligitur, Crystalli colato, & refrigerato liquido concresecunt: utrumque igitur sal essentielle acidum, tartarus purificatus, figura differens. Tartarus crudus communis tres quintas sui ponderis in cremorem & crystallos concedit, albus vero crystallinus electus duas tertias *Cl. FIZES Acad. des Sciences 1725.*

In acrimonia alcalina sæpius de die datur scrupulus semis, purgantibus pulveribus iungitur drachmæ semis, electuariis unciaë dosi; cæterum uncia semis, una, sumptus etiam per se alvum sollicitat: In omni hydrope utile remedium invenit, ad minimum unciaë semis dosi omni die, *Vinc. MENGHINI in Acad. Bononien. T. IV.*

Et nuper in Leucophlegmacia pertinaci huius viri observationes felici successu confirmavit TROGHER *Gazette Salut.* Nro. XVIII. 1762.

Cæterum crystalli in aqua difficulter solvuntur; septem drachmæ vix in unciis duodecim aquæ solvebantur LEMERY *Acad. des Sciences* 1728. solutæ in calida in frigida iterum concrefcunt, quare varia tentavere Cl. Viri, ut vel solutum tartarum vel crystallos in aqua obtinerent, fecere vero experimenta frequentium rerum fidem, addita soda etiam in aqua frigida solutum manere tartarum, sale tartari in eadem suspensas & solutas teneri crystallos GROSSE, DUHAMEL *Acad. des Sciences* 1732: solve-re etiam Boracem has crystallos LEFEVRE *ibidem*. Non vero ut præcedentes sales alcalinos acidum eius invertere.

Sunt adhuc nonnullæ aliæ haud ignobiles, licet nostris officinis non usitatæ præparaciones; ita ex simplici miscela spiritus vitrioli & tartari depurati digestionis & concentrationis in balneo, artificio, crystallos acidas, cum fermentantibus vegetabilium succis adversas, tum febribus acutis utiles, conficere docuere LANGIUS, LEMORTIUS *Collect. Chem. Leydens.* Ex una parte tartari duabus vitrioli crudi, vel etiam anaticis utrinque portionibus, obtinetur destillatione spiritus vitrioli tartarifatus, Tincturæ coralliorum, quæ colore defraudat adhibitus, antihydopicus MOUFFETO visus & transpiratione & sudore auctis proficius Cl. POTT *de unione acidi vitriolici & acidi tartari.* 1761. de aliis tartaris solubilibus ut tartari præparatis iam antea dictum fuit. Cæterum ad hanc Classem adhuc spectant

VINA AUSTRIACA.  
MOSELLANA.  
RHENANA.  
ACIDA omnia.

EX

## EX FOSSILIBUS.

BOLUS ARMENA p. 48. seq.

SULPHUR *Offic. Mineralogiae.* Classis Naturalis Minerarum. Ordo Sulphurum inflammabilium. *Germ.* Schwefel. *Gallis* Soufre. *Anglis* Sulphur.

SULPHUR *nativum, purum, flavum,* WALLERIO, sulphur vivum officinis dicitur; hoc aut purum est, aut impurum. At præter fossile illud datur etiam factitium; sulphur vulgare officinarum factitium ex pyrite ferreo, scintillante, amorpho, sublimationis, vel fusionis beneficio separatur. Inter factitii species sunt *stillatitium*, aut citrini, aut ex flavo viridescens coloris; sulphur *vulgare* officinarum, flavum, vel ex flavo-viridescens: sulphur *caballinum* grisei coloris quasi præcedentis caput mortuum. Sunt adhuc aliæ sulphurum differentiæ, & sulphuris eliciendi modi.

PRINCIPIA sulphuris duo: acidum vitriolicum, & substantia inflammabilis. Utrumque docet sulphur inflammatum. Ardente enim, & flammante sulphure pars inflammabilis patula est, & sub campana collecti vapores acidum exhibent. Adhæc ex acido vitriolico, & phlogisto sulphur emergit; ita ex oleo vitrioli, & antimonii regulo, ex oleo vitrioli & flanno, ex oleo vitrioli & oleo terebinthinæ, ex oleo vitrioli & aliis oleis, resinis BOYLEUS, GEOFFROY &c. ex alumine, & phlogisto experimentis Anglicanis. Cæterum terra simplex, aut etiam metallica, non est sulphuris

ris principium tertium, ut contendit in *Acad. des Sciences 1703.* HOMBERGIUS, & nunc post illum hinc inde alter, ut inter terras sulphur ordinare posset, quamquam & hoc verum sit, nunquam adeo purum adinveniri sulphur, ut de metallicis particulis, sive cupreis, sive ferreis nihil commixtum gerat, ut evidens est in spiritu sulphuris per campanam his gravido instantia *HIERNE Tentamine VII.* sulphuris depurandi optima via sublimatoria est, leni instituta igne per vasa aludel *WALLERIUS ibidem.*

Cæterum duorum horum sulphuris mineralis principiorum dispar multum proportio est. Integra enim libra vix duas habet phlogisti drachmas, dum ultra uncias quindecim, & drachmas sex, acidi, *NEUMANN,* & ratio acidi vitriolici ad principium inflammabile :: 50 : 3. visa *BRAND, Acad. Reg. Suec. 1756.* Tamen sulphur facile, & accenditur, & ardet, & consumitur totum in experimento. Ex libra integra sulphuris accensi, vix unciam unam spiritus sulphuris per campanam obtines.

PROPRIETATES sulphuris quod spectat, tenendum est, nec in aqua, nec in spiritu vini sulphur per se solvi, licet spirituosum liquidum leni odorato imprægnat principio *CARTHEUSERUS;* sed patere salibus, non adeo quidem acidis, quam alcalinis, quibus amico tam infusione quam incoctione iunctum vinculo, iam prioribus in liquidis facile solvatur: an ille effectus caustico, seu acido pingui debetur? quamquam vero hæc ita sese habeant, est tamen ubi sulphur concentratis lixiviosis salibus vix multum referatur *IDEM;* est igitur aliquis horum ad se invicem, cuius nondum inventa ratio sit, singularis modus, & forte adin-

adinvenit industrius vir MEYERS, dum demonstraret, caustico calcis imprægnatam solutionem alcalinam citissime sulphur solvere: causticum hoc, & in aquam, & in spiritum trahi, & aliis in hæc ingressum conciliare: alcali minerale non eam in solvendo sulphure exerere efficaciam, quam vegetabile, priusque minori quantitate sulphur semper solvere, an forte & inde ratio habetur? cur vitrioli acidum aliquam sulphuris quantitatem solvat? etenim in experimento acidi vitriolici albi adhibiti, ipsum coloratur acidum, & sulphur olivarum colorem induit BAUME *Manuel de Chimie. Paris 1763.*

Cæterum sulphur adhuc oleis tam pressis, quam stillatitiis auscultat, referaturque; pressis quidem citius, & saturatius in consistentiam balsami: Coques florum sulphuris partem unam in uncis olei olivarum quatuor, quinque facile ad consistentiam balsami sulphuris: succedet etiam operatio cum Petroleo, difficiliter vero cum oleis stillatitiis, ut in balsamo sulphuris anisato, terebinthinato instantia est, in quibus totum sulphur raro dissolutum adinvenitur. Ad hæc valde inflammabile sulphur est, accensum flamma cærulea ardet, cum halitu sulphureo suffocante, igne liquefcit, & funditur, dein vero inspissatur; destillatione non resolvitur, licet contendat SEEHL Anglus, addito sale tartari, & calce viva obtineri spiritum sulphuris, qui potius tamen urinosus sit, VOGEL.

USUS MEDICUS internus inutilis, quod in nostris humoribus sulphur non solvatur, etiam in secundas vias non transeat, CARTHEUSER. Experimenta tamen efficacem enunciant. In acrimonia alcalina obvolvens, demulcens sulphur, BOERHAAVE, in  
mor-

morbis cutaneis, rheumaticis, arthriticis, diaphoreticum, incidens, alii conspicuo effectu deprehendunt. Vim addidit in *Quæst. octava* pro vacante cathedra medica Monspeliensi Cl. ESTEVE. Sulphure assumpto perspiratio fœtida est, sulphur solutum olens, & argentum nigro colore inficiens. Agit etiam cinnabaris, IDEM. *ibidem*. Præterea assumptum sulphur olidissimas fœces facere COMMENT. Tom. IV. testatur *Illustr.* van SWIETEN, an nostris humoribus sulphur non solvitur?

Externe in scabie, cutis descœdatione reperiens, noxium sæpe: forma balnei a Magnif. archiatrorum olim Comite de SORBAIT multum laudatum in arthriticis omnibus malis, articulorum nodis &c. Est vero thermalis huius balnei hæc præscriptio. R. Calcis vivæ, sulphuris apyreti, ana libram unam, aquæ dulcis, vel Danubianæ libras triginta, præmissa unica ebullitione, extrahatur per noctem lixivium, altera die fiat balneum plenum cum aqua fluente, ad cuius refrigerium lixivium factum decantetur, remanente in fundo pulvere, & sic balneum factum est, in quo pro regula ordinaria balneare potest æger. His speciebus, scilicet huic in ollæ fundo relicto pulveri, denuo superaffundatur aqua ex balneo, & calefacto reliquo, pro refrigerio reafundatur, atque ita idem balneum quater usurpari potest ante specierum renovationem. Hoc balneum naturali vix cedit, quin imo secundum indicationes, pro hoc, vel illo infirmo augeri, vel diminui potest, secus in altero, tantæque virtutis est, ut expertum nunquam fefellerit, quo tot paralytici iterum se movere potuerunt, tot claudi ligati, & nodosi ambulare didicere, tot arenosi, calculosi, & nephritici a suis malis liberati, tot hystericae mulieres

sa.

sanatæ &c. GREISEL in tractatu de cura lactis Vien-  
nae Austriae 1670. Quæ cum ita sint, facile iudica-  
tu est, an recte ad quæstionem secundam, an ex Sul-  
phure cum calce & salibus alcalinis fixis elici possit ali-  
quid, quod aquarum thermalium vim referat, aut ei  
lucem aliquam affundat? pro regia cathedra medica  
in universitate Monspeliensi vacante propositam, re-  
sponsum, dum negando resolveretur? tamen simile iam  
balneum etiam recommendatum legimus ab Archiatro  
Regis Poloniae CHAMBON, in ulceribus, scabie, rheu-  
matismo, tumoribus scrophulosis &c. *Traité des Me-  
taux & des Mineraux & des Remedes qu'on en peut  
tirer.* Paris 1750.

## PRÆPARATA.

FLORES SULPHURIS nihil aliud sunt, quam  
sulphur commune depuratum sublimatione, tenerius:  
dosis a granis sex ad quindecim.

MAGISTERIUM SULPHURIS inutile, ni  
ob maiorem, quam etiam præ floribus possidet, subti-  
litate, vasa facilius permeare minima velis, & adhuc  
sale instructum dicas. Magisterium sulphuris, in vitro  
ad ignem fufum, in verum redit sulphur, priori, ex quo  
confectum fuit, simillimum, sed impurius MEYERS,  
qui etiam optimam medicamenti præparandi metho-  
dum assignat.

SPIRITUS SULPHURIS per Camp. accenso  
sulphure in aere aperto sub campana vitrea collectus,  
acrimonie alcalinæ, morbis putridis, dissolutioni humo-  
rum, adversus, additur potulentis, mixturis, ad gra-  
tam



tam aciditatem; etiam in artuum tremore nonnullis laudatur, & in Tympanitide COMBALUSIER *Pneumat. path.* Externe purus applicatus urit, verrucas cum cautela applicatus destruit. Ultimo etiam recensendum illud CL. CLUTTON novum febrium acutarum specificum, quod recipit oleorum, sulphuris per campanam, vitrioli rectificati, salis, anaticas portiones, quibus spiritus vini rectificatissimi triplum additur, per mensem digeruntur, ad ficitatem destillantur, tum duabus libris, rad. angelicæ, serpentariæ virginianæ, feminum cardamomi, ana drachmæ sex, adduntur, ut tinctura extrahatur, quæ ad gratam aciditatem aquæ instillatur, pro potu ordinario: sex libræ intra viginti quatuor horas sufficiunt, ut æger sudoribus a febre liberetur. *Method. of curing continued fevers 1729.*

## SULPHURIS BALSAMI.

ANISATUS.

IUNIPERATUS.

Cum oleo nucum.

TEREBINTHINAT.

Nihil aliud sunt, quam flores sulphuris oleis pressis, stillatitiis, soluti, redacti in consistentiam balsami: pro indole olei diversis in casibus laudantur, ita anisatus, carminativus, anticolicus; iuniperatus, etiam diureticus; terebinthinatus abstersivus, in ulceribus renum, vesicæ; sed calidi sunt, unde scrupulose dandi, a guttis

tis tribus ad sex pro dosi. His addi possunt alii spiritus acidi.

SPIRITUS NITRI Acidus.

Dulcis p. 103.

SALIS Acidus.

Dulcis p. 109.

VITRIOLI p. 58.

LIQUOR ANODYNUS MINERALIS

SPIRITUS FORMICARUM Acidus.

---

## ACRIMONIÆ MURIATICÆ CONTRARIA.

VICTUS Inulsus. Iuscula ex oryza cocta.

POTUS Aquosus.

MEDICAMENTA Emollientia omnia p. 3. fq.

Inviscantia.

Lixiviosa.

CALX VIVA *Offic. Mineralogiae.* Classis Naturalis Artefactorum. Ordo Terreorum. *Germ.* Kalch. *Gallis* Chaux. *Anglis* Lime.

**L**icet nomen genericum Calx, multis substantiis datum chemicis, hic loci pro producto calcinationis lapidum, & terrarum calcarearum maxime sumitur, quanquam tamen adhuc ex partibus animalium, & vegetabilium, ut ossibus, cornu, conchyliis, plantis

*Crantz. M. M. T. II.*

K

sub.

submarinis, lythophytis, calx paretur. Corpus est friabile album, aut gryseum, leve, siccum, saporis acris, caustici, ex lapide calcareo, aut alio quocunque corpore mediante igne productum, in aqua effervescens, cum hac, & fabulo, unione satis tenaci concrefcens.

Habet calx dotes alcalinorum fixorum: docet eius fixitas, solubilitas per acida, quanquam ea specialis, & viscedinis particeps, sapor urens, avida aquosi indoles, partium animalium exustio, actio in materies sulphureas, oleosas, pingues, resinosas, bituminosas, mercurii sublimati flava præcipitatio, præcipitatio substantiarum metallicarum, acidis suspensarum.

Habet dotes calx alcalium terreorum: docet fusio- nis difficultas, opacitas, lacteus, quem vitris conciat, color, calcis per salia alcalina tam fixa, quam volatilia præcipitatio, qualitas illa singularis *Cl. POT* detecta, qua regulum antimonii calce paratum disponit, ut amalgama solidum cum mercurio constituat: adhæc alcalina volatilia præcipitat, & ab his præcipitatur, quæ reciproca actio ordinem affinitatum alcalinorum cum acidis *Cl. GEOFFROY*, destruit. Habet dotes proprias, quod cum aqua, aliis liquidis plus minusve effervescat, vapores dimittat causticos, cum vino, & vini aceto sulphureos, in aere exstinguatur, sales alcalinos causticos magis reddat, ut a plurimis substantia, inter terras absorbentes, & alcalina fixa, media dicta sit, & inde famosum illud de sale calcis, adeo chemicis exagitatam problema natum.

Neque ultimo id ignorandum, simplicissima operatione ope calcis vivæ oleum aceti propelli, dum hæc aceto destillato saturata igni admoveatur *GEOFFROY*

*Acad.*

*Acad. des Sciences 1746*, & ex lixivio nitri fixi tartaro parati calce viva corrosivo magis facto, evaporatione salem obtineri transparentem, causticum minimo calore liquescentem, animales absumentem & liquantem partes, & cum his saponis liquidi constituentem speciem, quæ in spiritu vini instar saponis vulgaris solubilis sit, IDEM ibidem; adhæc calcem in aere exstinctam non eodem modo agere in salem ammoniacum, ac vivam, priore salem ammoniacum semper sublimari, posteriore id nunquam fieri: ipsam calcem vivam rectificandis spiritibus ardentibus nunquam adhibendam, quod igneis calcis vivæ partibus pars oleosa horum amburatur, & sic empyreuma semper sapiant, IDEM ibidem. Id etiam in aquis stillatitiis venire IDEM. Tum etiam calcem sive vivam, sive delapsam cum sulphure in hepar abire, quod nec creta nec aliæ terræ, quas alcalinis adscribunt, faciant. SPIELMANN.

Aqua calci vivæ superfusa quia lactescit, lac calcis dicitur, eadem tamen brevi clarescit crystallina, iterum præcipitata ad fundum calce, & supernatante pellicula opaca salina; hæc cremor calcis dicitur, difficulter in aqua solubilis, ablata renascens pertinaciter; in hac sal calcis quæsitus, qui compulsis omnibus experimentis naturæ mediæ, qualis in selenite est, affirmatus MALOUIN: acidus, naturæ salis marini basi terreæ iuncti, DU HAMEL: nitrosus NAUDOT. Repe- titis vero experimentis, etiam novis institutis, sal nullus in calce est, MACQUER, & indolem salinam solum acquirit aquæ iuncta calx, STAHL. Difficilis conceptus!

Nunc vero absoluto de calce viva tractatu, demonstravit industrius vir MEYERS, pelliculam hanc nec gypsum, nec selenitem esse, cum spiritu salis in integrum solvatur, quod gypsum non facit, sed terram calcaream tenuissimam aqua saturatam, ipsumque lapidem calcareum Osnabrugensem, nec in se alumen, nec sulphur, nec vitriolum, nec horum acida in se continere, nec illud nitri, aut salis, neque etiam hæc calci vivæ inesse; sed calcem vivam præcipue constare

I Terra calcarea

II caustico, seu acido pingui.

A secundo hoc principio potissimum, tum etiam a primo quandoque pendere ait omnes adeo mirabiles calcis proprietates, eas scilicet, quas cum alcalinis communes habet, tum etiam eas, quas proprie possidet; indeque explicat phænomena chemica plurima, quorum pauci mentionem injecere. Quare librum hunc summopere meis recomendo discipulis, ut veram per experimenta captam multarum rerum explicationem hauriant, viri ingenium, viresque merentur, & nunc, licet id plurimis forte displiceat, aperte dicam, nec academicorum ullum, nec ullum medicorum, adeo solide, adeo geometricè aliquod pertractasse argumentum, ut quidem laboriosissimus Vir suum.

Aqua calcis in usum medicum adhibita primaria, vel secundaria est, posterior priori non imbecillior *Essays d'Edimburg* T. I. etiam decimæ, 20. 30. infusionis, eiusdem virtutis est, ac primæ, *Cl. ALSTON Dissert. sur la chaux vive*, & calcis in aqua solubilis pars una 1500. etiam 1800. partes aquæ imprægnare

re valet, IDEM, & 30. grana calcis vivæ tanto fœnore aquam calcis largiuntur, ut hæc 92. vicibus pondus calcis superaret, licet essent solum 10. grana calcis solutæ in eadem hac aqua, IDEM.

Centum quinquaginta mensuræ aquæ calcis, circiter libram unam terræ largiuntur, hinc uncia una aquæ habet  $1\frac{1}{4}$  granum, quod tamen adhuc aqua imprægnatum sit; notatu enim dignum est, ponderis non exiguum augmentum calcem vivam in aqua suscipere, quod iterum experimentis industrii MEYERS debetur; dum enim uncias calcis sedecim, quater consecutive coqueret cum aquæ mensuris sex, tum demum siccaret remanentem a viginti quatuor mensuris aquæ, ad pulveris siccitatem calcem, invenit eam, quæ residua esset, viginti uncias cum dimidia habere. At unde hoc ponderis augmentum, dum tamen viginti quatuor mensurarum decocta calcis vi saturata fuere? ab aqua est IDEM, idque confirmat exsiccati pulveris calcinatio. Cæterum ipsa decocta vix non eandem calcis quantitatem suspensam tenebant: primum nempe drachmam cum granis quindecim habebat, secundum, tertium, quartum aliquot solum granis destituebantur, cuius rei comprobationem dabat præcipitatio oleo tartari per deliquium facta.

Est vero sequens aquæ calcis vivæ conficiundæ optimus modus. Calcis vivæ libra una in octo, decem aquæ pluvie mensuris, continua agitatione, ut tota deliquescat, exstinguitur; colata vasis plenis obturandis infusa servatur ad usus; in aere aperto servata imbecillis est, hinc etiam minus plenæ lagenæ inefficaces sunt, quæ tamen cito animentur admixta novâ nondum extincta calce.

K 3

VIS

VIS MEDICA ad plurima utilis; laudatur in acido ventriculi, fluore albo, dysenteria, BURLET, ulcere interno, MORTON, acrimonia muriatica, scorbuto ab eadem causa, BOERHAAVE, lacte, syrupis, herbis mucilaginosiis aliis, contemperata; etiam ad scrophulas aquam calcis vivæ, aqua fontana, in qua pugillus summitatum roris marini decoctus fuit, paratam, laudat FAVNE. *Recueil des pieces qui ont concourru pour le prix de l'Acad. de Chirurg. T. III.* Si maciem inducit, alvum exsiccat, parcius utendum, contemperanda magis; datur ad uncias quatuor, quinque, unam, duas libras de die, idque per menses, cum æquali portione, etiam maiori, lactis, prout æger facilius fert; dari adhuc in potum ordinarium potest.

Laudatur etiam in calculo, tum ea, quæ ex lapide calcareo confecta est, tum quæ ex ostracodermatum calce præcedenti duplo efficacior est, sive per os assumpta sit, aut in vesicam iniecta, de qua re legi merentur pulcherrima tentamina BROWNE LANGRISH *Physical experiments upon Brutes in order to discover a Safe and lasty method of dissolving the stone in the Bladder by injections*, London 1756. & WILLIAM BUTTER *a Method of Cure for the stone chiefly by injections*. Verum repetitis experimentis, thermis Carolinis prærogativam in dissolvendo calculo, præ aqua calcis vivæ tribuit SPRINGSFELD. Cæterum adhuc ad febres intermittentes valere ALSTON, MENZIES apud *eundem*, diureticam esse, etiam anthelminticam, alios reliquisse tenendum.

Externe aquam calcis ita temperatam, ne exulceret, contra vitiliginem, & lepram HIPPOCRATES, ad

ad ulcera plorantia, fistulas, tineam, sirones, forma lavamenti chirurgi feliciter adhibent, adhuc nuper ulcus scorbuticum rebelle percucatum hac, *Medical observations*. Cum oleo olivarum, amygdalarum, subacta linimentum constituit, contra ulcera plorantia & ambusta laudatum; cum sapone veneto, & lixivio calcis vivæ factum linimentum, ad scrophulas clausas calide applicatum, egregium, FAVNE *l. c.* cum mercurio sublimato aquam phagedænicam facit, flavam, exsiccantem, quæ spiritu vini camphorato imprægnata vulneraria habetur LEMERY. Aqua calcis spiritu vitrioli dives, antiseptica dicitur GEOFFROY; Vitriolo veneris infecta, saphirina, collyriis, saccharo saturni imprægnata lactescens, erysipelati, scabiei, ulceribus malignis, fotu utilis habetur. Laudat adhuc linimentum ex calce viva, & melle paratum, ad dolores scorbuticos, & arthriticos FULLERUS. Simile exsiccans, cum calce lota, quæ non amplius rodit, alii extollunt. Viva venenum est, quod vel ædificia recenter exstructa docent, ut inde paralysis, rheumatismi, apoplexia, mors.

Calx testarum ovorum princeps ingrediens est lithontriptici illius anglicani; ex hac cum sapone massam lithontripticam gratiorem conficit HARTLEY *Gentleman's Magazine* 1752. 1753. ℞. Saponis Hispanici rasi libras quinque, ostrearum calcis unam, superfunde aquæ mensuras quinque, coque in vase stanneo ad saponis solutionem, effundantur in vas terreum crusta vitrea obductum, aeri libero exponantur, agitentur, donec sapo lenis sit, & consistat forma, ad pilulas apta; ubi consistentiam non habet, inspissari in vase stanneo ad ignem potest; ubi aerior est, aqua lenire debet: sumi ad unciam unam, & ultra de die

K 4

potest.



potest. Vix vero adeo liberaliter procedendum post  
monitum ÆSCULAPII *Angli* HUXHAM, dum phthi-  
sim, scorbutum liberalius assumpta similia inducunt.

SALIA ALCALINA VOLATILIA oleosis  
inquinata partibus a nonnullis in hanc indicationem  
plurimum laudantur.

ACRIMONIÆ OLEOSÆ,  
BILIOSÆ PUTRIDÆ  
CONTRARIA.

VICTUS ex farinosis, acescentibus plantis.

POTUS ex iisdem, vel ex fructibus horæis decoctis.

CASSIA FISTULA vide *Purgantia*.

MANNA vide *Purgantia*.

MEL vide *Antidota*.

SACCHARUM *Off.* Classis Arte productorum.

Ordo Vegetabilium gramineorum. *Germ.* Zu-  
cker. *Gallis* Sucre, *Anglis* Sugar.

**E**x arundine saccharifera pressus, coctus, mediante  
lixivio ex cineribus & calce viva facto, sæpius  
despumatus, inspissatus, insolatus succus, saccharum  
dicitur, licet etiam ex aliis paratum tale vocetur: ita  
ex betæ albæ, rubræ, dauci, fiseri, radicibus, saccha-  
rum paratum, MARGGRAF *Acad. de Berlin* 1747.  
Ex Apocyni specie *Acad. des Sciences* 1703. ex acere  
Ame-

Americano, *Memoires, de Mathematique & Physique presentées a l'Acad. Royale des Sciences* T. II. cuius vis bechica, demulcens, in tussi, raucedine, utilis. GAUTIER. *ibid.* ex acere campestri GRUNER. *Franconica collect.* Vol. IV. Adhæc ex lacte saccharum lactis officinis receptum, acrimoniis utile, conficitur.

Sacchari variæ species sunt, variis etiam dotibus præditæ. Est vero saccharum sal essentielle inflammabile oleo acido & terra conflatum.

SACCHARUM CRUDUM, etiam THOMÆUM nonnullis vocatum, oleosum, pingue, in aere humescens, impurum, omni acrimoniæ, præterquam oleosæ conveniens. Interne raro datur, in clysmatibus, solvendi, & demulcendi scopo præscribitur vilissimum, ab uncia una, ad duas.

SACCHARUM *Pyramidale*, niveum, læve, sæpius rafinatum, in aere ficcum manens, aqua statim solubile, salis alcalini acido temperati magnam vim in se recondit, docet sal ammoniacum saccharo hocce tritum. Id saponaceum magis, olea aquis miscibilia reddit, magis abstergit, ut in hac acrimonia oleosa princeps; hinc in febribus acutis, ubi plethora oleosa pessima mala minatur, adeo utile, L. B. van SWIETEN maxima dosi exhibitum. Etiam acre dentes exedit, oculorum pannos absumit pulveratum, calamo inflatum; a corruptione plantas, succos harum præservat, artificio in confervis, & syrupis noto: adhæc antidotum est veneni, quo Americani tela sua imprægnant, & valens in scorbuto medicamentum habetur, BISSET. *Treatise on the*

*Scurvy* 1755, & in incipiente hydrope oxi saccharum, quo alimenta præsertim animalis generis condiantur, egregium *TYSSOT de hydrope.*

**SACCHARUM** *Candum* ad funiculos crystallifatum, angulosum, album, & flavum est, præcedenti demulcens magis, magis oleosum, in potibus theiformibus ad morbos pectoris asperos priori præferendum. **BOERHAAVE.**

**SACCHARUM** *Rosaceum* in phthisi pulmonali ab omni tempore proficuum fuit assiduo usu.



CLAS-

CLASSIS OCTAVA  
 EVACUANTIUM,

*I. SUDORIFERA.*

**Q**uæ insensibilem perspirationem, visibilem, aquosam, efficiunt, talia dicuntur.

Usum hæc habent in miasmate quocunque maligno suscepto, pestifero, venenato, venereo subtiliori nondum fixato, in constitutione epidemica cognita, in morbis subcutaneis, scabie, psora, lepra, lue Gallica, ulcerosa, tum in incipiente sudore critico; non tamen omnia promiscue adhiberi debent, his enim casibus, aliis alia magis præferuntur.

Contra indicantur vero I. a crassitie sanguinis, ab inflammatione obstructione graviore. II A nimia humorum solutione corporis debilitate, ut in hectica &c.

Cæterum disposito corpore sudorifera petuntur

1. Ex potu aquoso calido.
2. Acidis. Aceto simplici  
 destillato, quæ optima.
3. Ex antimonialibus, ut stibio diaphoretico non  
 abluto &c.
4. Ex stimulantibus P. I.

5. Ex

5. Ex aromatibus, acri, & subtili acrimonia præditis. In hanc classem veniunt

ABSYNTHII *infusio calida* P. I. p. 129. seq.

ABROTANI *infusio calida* P. I. p. 128.

AGERATUM exoletum.

ALLII omnes species.

ANISUM P. I. p. 134.

ANGELICA P. I. p. 133.

CALENDULA *Offic. Botanicorum.* Classis

Naturalis Compositarum Radiatarum. *Germ.*

Ringel-Blümlein. *Gallis* Souci. *Anglis* Ma-

rygold.

CALENDULÆ *seminibus radii cymbiformibus, echinatis, disci bicornibus,* flores nobis solum officinales, acre, amarum, aroma habent, in potum calidum elicium, fudoriferum: acetum calendulæ egregium, alexipharmacum. DIEMERBROEK.

CALAMINTHA P. I. p. 136.

CARDIACA, tanto nomine indigna, exoleta.

CARDUUS BENEDICTUS *Offic. Botanicorum.* CNICUS. Classis Naturalis Compositarum Capitatarum. *Germ.* Cardobenedict.

*Gallis* Chardon benit. *Italis* Cardo benedit-

to. *Anglis* Holy thistle.

CNICUS *caule diffuso, foliis dentato-sinuatis.* Amarissima planta, sale communi dives, *Acad. de Ber-*

*Berlin*, 1747. tartaro ammoniacali GEOFFROY, officinis herbam, flores, femina, largitur.

In decocto calido, scopo sudorifero, quem certo attingit, datur convenientissime manipulus semis, unus: In peste recommendat PALMARIUS, addito aceto. Pulvis ad drachmam semis datur languenti ventriculo, quem roborat. Succus subemeticus, unciae unius, duarum dosi, decocto, aqua stillatitia dilutus, febris intermittentibus, viscerum obstructionibus, ictero utilis. Externe ad fugillata fomentum ex hac planta, aut ex contusa planta cataplasma, aqua marina dives, valet. Inesne plantæ vis antipleuritica?

## PRÆPARATA.

*Conserva* cardui benedicti, drach. I. aliquoties de die egregii usus. *Extractum* valens, scrupuli unius mole, quod cum laudani opiatu momento potissimum sudoriferum, ETTMULLER habet. *Syrupus* bonus. *Aqua* stillatitia aliis laudata; *Sal* essenziale, & fixum, digestivum, incidens.

CARDUUS MARIÆ *Offic. Botanicorum.*

Classis Naturalis Compositarum Capitatarum.

*Germ.* Mariendistel. *Anglis* Milk-Thistle.

*Gallis* Chardon de notre Dame.

CARDUUS *squamis calycinis margine apiteque spinosis*, in amarore præcedenti remissior, ad eadem fere laudatur: salein enixum in planta suspicatur TOURNEFORTIUS, speciem tartari *Acad. de Berlin* 1747. Sudores, urinas movet, viscerum infarctus solvit. Semen in hydrophobia specificum proposuit LINDANUS, experimento nondum obfirmatum; an in pleuritide pro-

prodest? ut certum etiam hodie proponit UNZERUS *Promptu. Hamburgicum XI. Tom.* Externe decoctum, aqua stillatitia, ulceribus erodentibus utilia dicuntur.

CARLINA *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Compositarum Capitatarum. *Germ.* Eberwurtz. *Gallis* Carline. *Anglis* Carline Thistle. *Italis* Carlina.

CARLINÆ *caule unifloro*, graveolens, amara radix, sola adhibetur. Datur in pulvere a scrupulo uno, ad drachmam semis, in infuso ad unciam semis, scopo sudorifero, alexiterio. Ad magicos usus alii valere volunt, in hysterica passione, scabie, LINNÆUS.

CARYOPHYLLATA *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis, Calyciflorarum. *Germ.* Benediktenwurtzel. *Gallis* Galiot. *Anglis* Avens.

CARYOPHYLLATÆ *pinnis paucioribus, rhomboideis, tubarum sine uncinato*, radix, & folia, officinalia sunt. Radix caryophyllorum saporem cum adstrictione habet: vis totius plantæ balsamica, roborans, in vinum elicita, ad ulcera scorbutica, aquosa, ichore diffluentia, ad fistulas, gingivas scorbuticorum laxas, præstans: foliorum recentium in podagra infusum commendatur, quod sub debito regimine sudoriferum. Dosis non est limitata. Aphrodisiacam radicem observavit OVELGRUN, *Act. Phys. Med. Acad. N. C. Vol. V.*

CENTAURIUM MINUS *Offic. Botanico-*  
*rum.* GENTIANA *Classis Naturalis Pauci-*  
*flam.* *Germ.* Tausend-Gulden-Kraut. *Gallis*  
 petite Centaurée. *Anglis* Lesser Centaury.

GENTIANA *foliis trinerviis, ovatis, floribus*  
*umbellatis, tubo strictissimo;* amarissima planta, sto-  
machi vitia emendat, febres intermittentes pellit, sudo-  
rem movet: præscribitur ipsa herba, vel eius summi-  
 tates infundendæ: plantæ unc. semis, vel summitatum  
 pugilli duo, tres, in infuso semivinoso ob amarorem:  
 pulveris scrupulus, dosis. Decoctum externe trau-  
 maticum familiare.

## PRÆPARATA.

*Conserva* non multum in usu. *Extractum* efficax,  
*aqua stillatitia* vix laudabilis, *sal* inutile.

CHINÆ RADIX *Offic. SMILACIS Botani-*  
*corum.* *Classis Naturalis Incompletarum.* *Germ.*  
 Pockenwurtz. *Anglis* China.

SMILACIS *caule aculeato, foliis orbiculato-ova-*  
*tis, inermibus, quinquenerviis;* radix, sola officina-  
 lis, decoctum dat demulcens, saponaceum tamen, in  
acrimoniis laudatum, adhæc sanguinem mundificat,  
hui veneræ, arthriticis, rheumaticis, & podagricis  
affectibus prodest: in decocto insipidæ uncia semis,  
 in substantia drachma semis, una, datur. In dispo-  
 sitis calidæ plantæ sorbitio sudorem movet.

CON.



CONTRAYERVÆ RADIX *Offic. Botanicorum* DRAKENA. Classis Naturalis . . .  
*Germ.* Giftwurtz. *Gallis* Contrajerva. *Anglis*  
 Counterpoison.

DRAKENA *scapis radicatis*, alexiteria, sudorifera, ubi exstimulanda natura in febribus, magni usus: laudatur etiam in peste, miasmate in sanguine vago, nondum fixato, ut alia sudorifera: adhæc stomachica est, carminans. In infuso dosis uncia semis, in pulvere scrupulus. Tinctura spirituosa multum movet.

COSTUS dicitur inter *Diuretica*.

DICTAMNUS CRETICUS P. I. p. 145.

ALBUS P. I. p. 145.

ENULA CAMPANA. P. I. p. 146.

EUPATORIUM vide *Diuretica*

HYSSOPUS P. I. p. 148.

LAURUS P. I. p. 151.

LEVISTICUM *Offic. Botanicorum* LIGUSTICUM. Classis Naturalis umbelliferarum.  
*Germ.* Liebstöckel. *Gallis* Levesche. *Anglis*  
 Lovage.

LIGUSTICI *foliis multipartitis, foliolis superne incis*, herba, radix, semina, officinalia habentur: vis plantæ grata, alexiteria, sudorifera; in infuso foliorum manipulus semis, seminis vel radicis uncia semis; dari etiam in pulvere possunt radix, & semen,  
 gran:

gran: quindecim dosi ad viginti, scopo eodem, vel carminante. Succum foliorum recentium ad scopum emmenagogum suppressis menstruis specificum habuit FORESTUS, ad uncias tres exhibitum. Est etiam succus radice summe solvens, ut gummi-resinosi non cedat, BOERHAAVE. Semen masticatum, deglutitum, vel cum foliis aqua, & vino coctum, potenter iuvat suffocatione hysterica correptas, HAMNERIN *Dissert. C.*

MARRUBIUM ALBUM. *Vide Emmenagoga.*

MELISSA. P. I. p. 117.

MENTHA. P. I. p. 154.

NASTURTIA & omnes antiscorbuticæ  
p. 81. seq.

ORIGANUM VULGARE *Offic. Botanico-  
rum.* Classis Naturalis Ringentium. *Germ.*  
Wilder - Majoran. *Gallis* Origan. *Anglis*  
Origane.

ORIGANUM *spicis foliosis coloratis, umbellatis,* odorata, subacris, sudorifera est, etiam morbis pituitosis pectoris dicata, incidens, melle diluta.

Forma infusi vel electuarii. Infunditur manipulus semis, vel ut thea usurpatur cum melle.

ORIGANUM CRETICUM *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Ringentium.

ORIGANUM *spicis tetragonis,* præcedenti calidior, odoratior, etiam stimulantior est, majorum virium,  
*Cranz M. M. T. II.* L rium,

rium, minori dosi danda. Oleum stillatitium gossypio exceptum, denti carioso inditum, odontalgix medetur destructione nervi; at in hac re nihil peculiare est, faciunt id alia calida plurima.

**PETASITIS** *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Compositarum Radiatarum. *Germ.* Pestilentz-Wurtz. *Gallis* Herbe aux Tigneux. *Anglis* Butterbürre.

**PETASITIDIS** *floribus spicatis, flosculis omnibus androgynis* HALLERI, radix acris, aromatica, amara, exsiccata carbonibus iniecta scintillat, & inflammatur, HILL *de Diaphoreticis*, etiam destillata oleum, & spiritum inflammabilem largitur, IDEM. Sic etiam extractum resinofum totum comburitur, IDEM. Radix sudorem pellit, alexipharmaca: uncix semis pondere in anaticis partibus aceti, & vini infusa calide cochleatim sumpta, vix fallit; adhuc stimulans, potenter incidens, in asthma BUCHWALD, etiam in epilepsia L. B. van SWIETEN, uncix pondere in hydromellis libra una infusa, & aliquot unciis matutino tempore ieiuno stomacho diu sumpta, dato bis terve in mense purgante. Externe valet ad bubones in peste adhibitum cataplasma, HALLERUS. Podagram etiam idem superavit. WOOD.

**PEUCEDANUM** *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Umbelliferarum. *Germ.* Saufenchel. *Gallis* Queue de porceaux. *Anglis* Sovv fennel.

**PEUCEDANI** *pinnis duplicatis pinnatis, foliis latiusculis, longe trifidis*, radix, calida, acris, ad asthma mucosum, difficilem expectorationem, paralyfim, strangulatum uteri, commendatur, uncix semis, unius dosi

dosi in infuso. Vulneratum peucedanum lacrymam stillat aromaticam, nondum probatam.

POEONIA *Offic. Botanicorum.* Classis Multiflora. *Germ.* Gichtwurtz. *Gallis* Pivaine. *Anglis* Peanie.

POEONIA quoad varias partes, variis celebrata etiam multis officinis recepta, non tamen omnibus habetur. Flores soporiferi plurimis desiderantur: radix antispastica, antiepileptica multis, sudorifera aliis, veneni suspicionem incurrit apud HALLERUM. Semina eadem vi gaudent. Datur radix in pulvere a granis decem ad triginta, in decocto a drachmis duabus ad unciam semis. Seminis eadem dosis in pulvere, emulsione, infuso.

ROSMARINUS *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Ringentium. *Germ.* Rosmarin. *Gallis* Rosmarin. *Anglis* Rosemary. *Italis* Rosmarino.

ROSMARINUS gravi, & penetrante est odore, sapore acri, subamaro. Totus excitans, nervinus, in syncope, passione hysterica, vertigine senili, apoplexia, paralyti, lethargo, & aliis morbis frigidis, instar thee sumptus, etiam vinis medicatis ad manipulum semis infusus, aut pulvere ad grana quindecim datus. Flores per excellentiam *anthos* dicuntur, ex his conserva seni ob debilitatem drachmæ unius, duarum pondere, semper matutino tempore sumpta, superpota aqua stillatitia, conveniens.

Aqua stillatitia, spiritus vulgo aqua Reginae Hungariae dictus, oleum stillatitium, efficacia remedia; Oleo

roris marini in inmani coccygis dolore, parti illito, æger convaluit HANNÆUS *Ephem. N. C.*

RUTA P. I. p. 157.

SABINA 158.

SAMBUCI *Flores* P. I. *Roob.* p. 58.

SANTALUM *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Fructiflor. *Germ.* Sandelholtz. *Anglis* Sanders. *Gallis* Santal.

SANTALA tria sunt; *citrinum, album, rubrum;* citrinum fragrantissimum, odore ex moscho, & rosis composito, ob oleum essentielle plurimum, sapore amaro, multum resinoso, ut inde principia pateant calida. Album in omnibus debilius est: rubrum utroque potentius adstringens: his etiam alia ligna substitui solent.

VIS MEDICA stimulans, balsamica, sudorifera, citrini, & albi rasorum, in infusis drachmarum trium, uncie semis pondere, non spernenda. Rubri fixioris adstringens, roborans vis, coctione elicitur, sudores, hæmorrhagias compefcit, uncie semis dosi in libra una aquæ; sed cur in his subvenenatam vim, & ut novis nominibus loqui amat, synochizantem culpat LINNÆUS? An ex BONTIO? Gratum, reficiens, ex santalo citrino destillatione obtinetur, oleum nempe quod paucis notum. GODFREY.

SASSAFRAS P. I. p. 127.

SCABIOSA *Off. Botanicorum.* Classis Naturalis Comp. Aggregatarum. *Germ.* Grind-Kraut. *Gallis* Scabieuse. *Anglis* Seabious. *Italis* Scabiosa.

SCABIOSA *corollulis quadrifidis, corollis radiatis, caule hispido, amara, & bechica* multum recom-  
men-

mendatur BOERHAAVE, seu in decocto, seu in facco sumpta. Multum saponacea absque multo motu resolvens, in ulceribus veneris etiam utilis, BUCHWALD. *Extractum* probandum: *aqua stillatitia* haud laudabilis. Nec plantæ, nec præparatorum scrupulosa dosis est.

SCORDIUM *Offic. Botanicorum.* CHAMÆDRIS. *Classis Naturalis* Ringentium. *Germ.* Lachen. Knoblauch. *Gallis* Germandre d' eau. *Anglis* Garleke mandoc.

CHAMÆDRIS *foliis ellipticis, mollibus, verticillis inter folia paucifloris,* odore alliato, gravi, sapore amaro, acri, inter alexiteria, & antigangranosa primaria, BOERHAAVE. Ad manipulum semis pro usu interno infusa, manipulum unum, unum semis pro fomento, vel cataplasinate cocta. Sudorem certo movet, etiam ad pestem laudata, morbos ischiadicos, rheumaticos tollit, potu, & fotu.

## PRÆPARATA.

*Aqua scordii composita,* efficax, sudorifera, *conserva, extractum,* valentia, *electuarium* diascordium opio dives, in dysenteria laudatum. *Syrupus.*

SERPENTARIA VIRGINIANA *Off. ARISTOLOCHIA Botanicorum.* *Classis Naturalis* fructiflorarum. *Germ.* Spanisch - Schlangenkraut. *Gallis* Viperine. *Anglis* Snake-root.

ARISTOLOCHIA *caule anguloso, floribus solitariis, recurvis,* sudorifera omnium observatione, antiseptica, PRINGEL *Philosoph. Transact.* antifebrilis SYDENHAM, etiam contra pestem laudatur, & in fi-

ne morborum acutorum, ubi materia cocta per sudorem expellenda, in convulsivis motibus, WILLIS. Purgantium vim infringere HARTMANN. Datur in infuso a drachmis duabus ad unciam dimidiam, in pulvere a scrupulo ad drachmam semis.

SERPENTUM RADIX *Off.* OPHIORRHIZA L. Classis Pauci-stam.

OPHIORRHIZA vix multis officinis recepta, nec iis, quibus recepta, sincera, DARELLUS: colubrini ligni optima & præstantissima species, ad febres intermittentes, morsus serpentum, & vermes valet, IDEM. Dosis uncia semis ad summum in decoctis, vel drachma semis in essentiis: ligna enim rarissime in substantia propinari debent, IDEM. Ex hoc cum aliis fit lapis de GOA, LOCHNERUS. Ad hydrophobiam etiam laudat LINNÆUS. Cæterum sudoriferum est egregium, ut & lignum colubrinum vulgare.

SILER *Off. Botanic.* TORDYLIUM Classis Naturalis Umbelliferarum. *Germ.* Sefel, *Gallis* Sermontaine. *Anglis* Siler.

TORDYLIUM *involucris partialibus longitudine petalorum, foliolis ovatis, laciniatis; semen creticum inter sudorifera, carminantia, laudatur scrupuli, vel drachmæ semis dosi.*

TANACETUM *Off. Botanicorum.* Classis Naturalis Compositarum Nudarum. *Germ.* Wurm-Kraut, *Gallis* Tanaise. *Anglis* Tansey.

TANACETI *foliis pinnatis, pinnis pinnatifidis, serratis, herba, flores, semina, omnia balsamica, sudorifera, stomachica, anthelmintica, emmenagoga sunt,*

sunt, hydropicis, & hystericis utilia, LINNÆUS. Flores pulverifatos drachmæ pondere, pro egregio antihystericis, alii recommendant. Herbæ dosis in infuso in nipulus semis, florum pugilli tres, qui & instar thee sumi possunt. Seminum in pulvere dosis drachma semis, una. Aqua stillatitia laudabilis, oleum de stillatum potens,

VALERIANA. vide *diuretica*.

VERONICA *Off. Botanicorum*. Classis Naturalis Ringentium. *Germ.* Ehrenpreis. *Gallis* Veronique. *Anglis* Speedwel.

VERONICA *spicis lateralibus pedunculatis, caule procumbente*, calide instar thee pota, multis sudorifera habetur, licet hanc vim nec eminentem, nec certam habeat: blande adstringens est, in ulceribus viscerum internorum conveniens, etiam in phthisi, BRESLAV. Cæterum & succum ad uncias duas de die potum podagræ mederi, BOERHAAVE; in infuso nipulus semis, ad libram unam aquæ.

VINCETOXICUM *Off. Botan.* ASCLEPIAS. Classis Pauci-stam. *Germ.* Schwalben-Wurtz. *Gallis* Domte venin. *Anglis* Swallow-wort.

ASCLEPIAS *foliis ex ovato lanceolatis, glabris, floribus racemosis, albis*. HAL. Recens veneni criminatur ob familiam, aliis alexipharmaca censetur, externe ad glandulas induratas, ulcera fordida, tumores mammarum. TOURNEFORT. Dosis in decocto uncie semis, unius: in pulvere scrupulus unus, etiam duo, dantur.

VIRGA AUREA vide *Diuretica*.



---



---

 ARTEFACTA COMPOSITA.

**FULIGO** *Off.* Combustibile omnium, ignis aperti ope, vernicis specie caminis inhærens, productum, ingrati odoris, saporis nauseosi amari, destillatum dat primo aquam pellucidam, fœtidam tamen, tum copiosam lacteam, pinguem, tum falem flavum volatilem, alcalinum, oleosum, atrum crassum causticum oleum in collo retortæ, sal ammoniacum, Fuligo omnibus patet menstruis tam aquosis quam spirituosis.

**USUS MEDICUS** ipsius fuliginis satis rarus, licet potenter incidat, & stimulet in frigidissimis morbis; optato sæpe successu in catapotia cogi **BOERHAAVE**. Sunt qui etiam fuliginem in scabie retropulsa magnarum virium habent, hi solam præscribunt, alii momento camphoræ actuatam. Tinctura fuliginis non in omnibus officinis habetur, gutt: quadraginta dosi, bis terve in die, in Nosocomio Regio Edimburgensi, exhibetur.

**MITHRIDATIUM** & omnia Theriacalia.

**SALIA VOLATILIA** rectificata, vel sola, vel mutata, in falem medium.

**SPIRITUOSA STIMULANTIA** vehiculo calido excepta.

**OLEA EMPYREUMATICA.** Ita oleum animale **DIPPELII**, quod ad guttas tres infusum uncie dimidiæ spiritus vini, quatuor hominibus datum, uberimum sudorem provocavit. **HOFFMANN. CARTHEUSER.**

SPI-

SPIRITUS VINI VAPOR nudo corpore lin-  
teo cerato undique tecto susceptus, profusissimos sudo-  
res facit, robustissimis etiam periculosos si nimis pro-  
trahantur.

PHOSPHORUS *Offic. Classis arte produ-*  
*ctorum.*

PHOSPHORUS glaciale est ex urina præpara-  
tum, quod expositum acri in tenebris lucet, & ardet:  
Hoc ex urina putrefacta primo, dein etiam ex aliis  
substantiis productum; ita ex feminibus sinapi albi, &  
nigri, ex feminibus Nasturtii hortensis; ALBINUS, ex  
fecali tritico, aliis POTTIUS vidit, quæ omnia etiam  
MARGGRAFIUS obfirmavit, qui insuper quibus ex  
substantiis parari vere possit, quibus non liceret, reli-  
quit, optimamque methodum parandi phosphori com-  
municavit.

De Noctiluca huius aeræ ex urina paratæ PRIN-  
CIPIIIS non unus omnino est omnium consensus: de  
Phlogisto quidem dubia haud sententia est, sed præci-  
pua de Natura acidi eius controversia est; Nam & huic  
salis inesse acidum HELLOT, MACQUER, & duplici  
acido, hoc vitrioli, illo salis cum terra vitrescibili &  
phlogisto exurgere Phosphorum MULTI ALII. Ex  
Acido urinæ proprio & inflammabili constare principio  
HANCKEWITZ *Phil. Transact. abridged.* Vol. IX.  
MARGGRAF *Scriptis Chemicis*, & qui illos hodie se-  
quuntur non pauci dicunt. Expendenda Argumen-  
ta sunt.

Ea sunt HELLOTII quæ primo probent destillatæ  
Phosphori omnia producta, acidi salis manifesta habe-  
re indicia; Nam & Sal ammoniacus, paulo antequam

L 3

pro-

prodeat Phosphorus, in collo sublimatur, etiam evaporata ampullæ aqua a tartari adiecto sale habetur, nares volatili urinoso odore feriens, qui in alio experimento sublimari possit: Caput mortuum elixiviatum, inspissatum calcinatum nihil nisi salem marinum exhibet, & idem caput mortuum methodo *glauberiana* oleo vitrioli concentrato tractatum salis dat spiritum volatilem, calidum aurum solventem: Adhæc Phosphori in aere deliquescentis acidum liquorem non præcipitare Calcis oleum, argentum vero spiritu nitri solutum in veram lunam cornuam agere plurimis in *Acad. Reg. Scient.* 1737. probavit.

Sunt vero non pauca alia, quæ ex ipso MARGGRA-  
FIO adiici momenta possunt. Sal urinæ fusibile quod Phosphori in se continet Acidum, destillatione ammoniacale largiri sublimatum in Eiusdem viri experimento p. 86. æquales salis ammoniaci & fusibilis salis portiones destillatas nullo modo tentari aut mutari in alio p. 105. urinæ salem in spiritu nitri solutum præcipitare argentum p. 107. nec adeo vehementer aut certo salis in sale marino acidum expelli a Phosphori acido ut non plurimum in crystallos cubicas denuo concreescens superfit p. 104. & etiamnum certum est sine salis acido, nunquam Phosphorum in compendioso & fructuoso, quem adeo laudat, processu parasse MARGGRAFIUM, quin massæ ex inspissatis urinæ libris decem pulveratorum carbonum libræ dimidiæ compositæ semper addiderit saturni cornui *acido salis bene saturati* libras tres p. 62. & ex aliis Eiusdem viri experimentis evidens est solam urinam absque acidi salis interventu minorem semper Phosphori quantitatem dedisse, salis addito acre maiorem p. 72. Cæterum Cl. MARGGRAFII & experimenta & contrariæ expendendæ rationes sunt qui-

quibus tamen compulsis omnibus ultimo elucescat Phosphori acidum salis quidem esse posse, sed in hoc multum immutatum p. 74. ut ultimo sit fere unus omnium consensus.

PROPRIETATES lucidi huius corporis sunt in aere libero deliquescere, accendi flamma in loco obscuro conspicua cærulescente, in vacuo non extinguenda, quæ contra vividior in ratione educti aeris increseat SLARE *Philos. Transact. abridged.* Vol. III. solvi leviter in aqua & spiritu vini HOMBERG. *Acad. des Sciences* 1711. & solum post multos annos, exigua in superficie mutatione animadversa HELLOT *Acad. des Sciences*, ita tamen ut liquida hæcce acida sint HOMBERG l. c. solvi in omnibus oleis pressis interveniente calore, etiam in ipso Petræ oleo & æthereis: Aquam in qua coctus est Phosphorus luminosam reddere ut & olea in quibus solutus est. In aere aperto combustum, caput mortuum relinquere, rubrum, tenax, ceræ simillimum SLARE l. c. FROBENIUS HANCKEWITZ Vol. IX. adeo acidum, ut stupefaciat dentes, ferrum dissolvat SLARE l. c. Vase calido exceptam unciam Phosphori & sub campana deflagrantem in flores sublimari albissimos drachmarum decem ponderis, ut igitur duarum drachmarum ponderis accesserit augmentum HANCKEWITZ l. c. Aeri expositos flores resolvi in liquamen oleo sulphuris per Campanam simillimum uncias quatuor cum duabus drachmis ponderans IDEM; crudum caute rasum orbi vitreo impositum in aere humido in liquamen resolvi ter superans primitivum pondus SLARE l. c. fere octies HANCKEWITZ l. c. Gustu spiritum sulphuris aut salis referens SLARE & priori liquori florum simillimum, qui etiam vitrificari possit in vitrum cæruleo viride duritiæ fere ad-

aman-

amantinae HANCKEWITZ l. c. Cæterum cum sulphure communia multa Phosphorus habet, qui etiam in id sublimari possit IDEM, est tamen in aliis multis distinctus a sulphure Phosphorus.

USUS MEDICUS gr. II. III. dosi diaphoreticus, analepticus, vel solus, vel theriacæ iunctus. Sunt etiam qui ad dolores Rheumaticos laudent & Miliaria, & Morbillos & Inflammationes. Sal essentielle urinæ maxime diureticum habet BOERHAAVE, in asthma te, fluore albo alii recommendant dosi gr. V. X. aliquoties de die. Sed officinæ non habent. An liquamen Phosphori calculos solvit?

## SUDOREM NIMIUM INHIBENTIA.

1. Aer frigidior.
2. Incrassantia,
3. Adstringentia, & roborantia.

CORTEX PERUVIANUS p. 35. fq.

SALVIA in spiritu vini infusa P. I. p. 159. fq.



CLASSIS NONA.  
EVACUANTIUM

II. DIURETICA.

Quæ medicamenta efficiunt, ut lotium maiori reddatur copia, quam cæterum absque horum auxilio reddita fuisset, DIURETICA vocantur. Hæc vero vel aquosi laticis copiam augent, & maiorem quantitatem humorum subministrant, vel motum humorum in has partes, manente eadem laticis aquosi quantitate determinant, vel demum obstacula, aut secretionem ipsam, aut secreti humoris effusionem impediunt, tollunt, quo casu, Incidentia, Anodyna &c. sæpe Diuretica habentur.

Indicantur

1. a signis coctionis.
2. a fluxu critico.
3. a materie peccante salina, saponacea, scorbutica, purulenta. BOERHAAVE, exanthematica MAUCHARD ex Cl. SIGWARD, cum optima purpuram tractandi methodus sit diuretica nitrosa, non calefaciens IDEM.
4. a loco affecto.
5. a constitutione epidemica.
6. a temperie ægri auscultante huic evacuationi, vel assueta.

Inter

Inter hæc primaria aqua, & omnia aquosa, maxime salibus alcalinis, neutris, actuata. Serum lactis, lac acidum, ebutyratum &c. cum regimine frigido.

## VEGETABILIA.

ALKEKENGII *Offic. Botanicorum.* PHYSALIS Classis Pauci - Stam. *Germ.* Iudenkir-schen-Kraut. *Gallis* Coqueret. *Anglis* Winter-Cherry.

**P**HYSALIS *foliis cordatis, calyce rubente, bacca subamaræ, vi diuretica iam olim laudatæ; contra calculum renum in se ipso probavit CRUGERUS Ephem. N. C. Decad. 3. Anno 7. 8. unciarum duarum contularum pondere, in libra una vini, & aquæ fragorum, addita roob cynosbati, syrapi fragorum uncia una, spiritus salis drachma semis, & iam recommendavit RAIUS.*

ANTISCORBUTICA omnia. LINNÆUS.

APIUM P. I. p. 18.

ASPARAGUS *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Liliorum. *Germ.* Spargen. *Gallis* Asperge. *Anglis* Asparagus. *Italis* Sparagi.

ASPARAGUS *foliis setaceis, caule herbaceo, saponacea est, plurimum diuretica, ut inde urina semper foetet. Ex turionum liberaliori usu mictus cruentus, SCHULTZ. An inde aliquid in calculo ab hoc medicamento sperari potest?*

ASA.

ASARUM diu coctum. vide *Emetica*.

BALSAMA liquida P. I.

BARDANÆ semen.

BETULA *Offic. Botanicorum*. Classis Naturalis Incomplet. *Germ.* Birkenbaum. *Gallis* Bouleau. *Anglis* Birch-Tree.

BETULA *foliis acuminatis, serratis, incisa vere*, magnam vim succi fundit, multum diureticam, HELMONT. etiam posterioribus experimentis, SPIES, ut diabetein fecerit; valet etiam ad morbos cutaneos, dosis unc. quatuor, sex, matutino tempore succi in media arboris altitudine stillantis, qui enim ex vulnere inflictio parti radiceis propiori stillat, minus efficax est, tumque continuatur eius per aliquas septimanas usus, & id potissimum regimen adhibetur, quod in curatorium scopum collinet.

CURCUMA *Offic. Botanicorum*. Classis Naturalis Palmarum. *Germ.* Gilbwartz. *Anglis* Turnerike.

CURCUMÆ *foliis lanceolatis, utrinque acuminatis, nervis lateralibus, numerosissimis*, amara radix, incidens & resolvens, in ictero specifica LINNÆO: Urinam etiam, quam luteo colore tingit, pellit, hydropicis multum utilis. Dosis in pulvere drachma semis, bis de die, in infuso uncia.

DAUCUS *Vulgaris* P. I. p. 28.

*Creticus*

EQUISETUM. Specificum diureticum vide P. 23.

ERYN-



ERYNGIUM *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Umbelliferarum. *Germ.* Manstreu. *Gallis* Panicaut. *Anglis* Sea Holly. *Italis* Iringio.

ERYNGII *ramosissimi, pinnis foliorum alatis pinnatis*, herba, & radix habentur diureticæ, ad præcavendum calculum BAGLIVIO laudatæ. Radix aphrodisiaca magni hodie in Anglia usus ALLEÿNE: cur in gonorrhœa demulcens, & prostatae erosionem impediens, EIDEM? Radicis recentis dosis in decocto uncia semis, una, conditæ drachma una, duæ.

EUPATORIUM *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Compositarum Nudarum, *Germ.* Odermenig. *Gallis* Aigremoine. *Anglis* Waterhemp.

EUPATORII *foliis digitatis*, amara cum aromate folia, saponacea, nauseosa sunt: vis ad obstructions viscerum, icterum, morbos cutaneos, in serum lactis tracta, haud debilis, etiam ex febribus intermittentibus hydropicis efficax cum eryngio. Dosis manipulus unus, duo. Radix purgans specificum LINNÆO habetur, quod negat CHOMEL. Repetenda experimenta.

FOENICULUM *Offic. Botanicorum* ANETHUM. Classis Naturalis Umbelliferarum, *Germ.* Fenchel. *Gallis* Fenouil. *Anglis* Fenchel.

ANETHUM *fructu ovato*, admodum aromaticum, gratum, in omnibus partibus præstans, maxime inter carminantia, resolventia, interno usu laudatur, etiam inter diuretica militat: dantur semina in pulvere ad scru-

scrupulum, drachmam semis; radix in infuso ad unciam unam.

PRÆPARATA. *Confectio* ex feminibus. *Extractum* inutile, *aqua stillatitia*. *Oleum stillatitium*. *Spiritus*.

FRUCTUS horæi P. I.

HERNIARIA *Offic. Botanicorum*. Classis Naturalis Incompletarum. *German.* Harnkraut. *Gallis* Turquette. *Anglis* Rupture-wort.

HERNIARIA *calycibus bractea nudis*, ob herniarum curationem nominata, subsalsa, vim diureticam promittit. Diuresim etiam vehementer ciere, idque cum ПОХА, CHOMEL: Ad urinam propellendam, & promovendas in renibus arenulas, instar thee assumi potest: etiam pressæ succus ad unciam unam. Oculariam, quod hebetatam lectione visus aciem redderet, dici debere, contendit GRUHMANN.

IRIS NOSTRAS *Offic. Botanicorum*. Classis Naturalis Palmarum. *Germ.* Beilwurtz. *Gallis* Flambe. *Anglis* Flour de luce.

IRIS *corollis barbatis, caule foliis longiore, multiflora*. Acris est, quandoque ventriculum subvertit, quandoque alvum ducit, absque his effectibus urinam movet, unde hydropicis commoda, quibus LINNÆO habetur specifica. Datur succi uncia, etiam plus in syrupo purgante. Succus radicis iridis palustris ad guttas octuaginta omni hora, tum bihorio, in syrupo rhamni cathartici datus, hydropico mirum profuit, RAMSAY *Society of Edimburgh* T. V. Ad quinquaginta  
Crantz *M. M. T. II.* M gin-

ginta, sexaginta dies, radices comedendas strumosis præbuit ZAPATA in certissimam curationem.

MEUM *Offic. Botanicorum* LIGUSTICUM.  
Classis Naturalis Umbelliferarum. *Germ.* Beerwurtz. *Gallis* Fenouil Sauvage. *Anglis* Spignel.

LIGUSTICUM *foliis capillaribus.* Planta, fœniculo longe valentior, acrior, in omnibus morbis frigidis efficax, etiam emmenagoga est. Semine ad febres intermittentes utuntur Angli, BLAIR, radice ad asthma humorale, mucum ventriculi, alii. Dosis in pulvere scrupulus, drachma semis, radice in infuso uncia semis, scopo diuretico.

ONONIS *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Papilion. *Germ.* Hauwseefel. *Gallis* Arête bœuf. *Anglis* Camosche.

ONONIS *floribus subsessilibus, ramis in spinam terminatis,* specificè diuretica LINNÆO, hydropicis & calculosis convenit in decocto data: dosis uncia semis, una, in libra aquæ, pulveris, drachma semis.

PAREIRÆ BRAVÆ Radix *Offic. Botanicorum* CISSAMPELOS. Classis Naturalis. *Germ.* Americanische Griefswurtzel.

CISSAMPELOS *foliis peltatis, emarginatis,* radicem officinis largitur multum diureticam, quam adhuc specificam in calculo habet LINNÆUS: contradicit GEOFFROY, & solum in dolore nephritico, & urinæ suppressione a causa frigida prodesse vidit: etiam in asthma humoralis cum successu probavit

IDEM,

IDEM, tum & in podagra, gonorrhœa adhiberi LINNÆUS. Specificam quoque in fluore albo CARLIUS deprædicavit; itidem icterus felleus hac superatus habetur in *Acad. des Sciences 1710*, quem hoc medicamento a scirrhoso hepate curare non potuit GEOFROY. Cæterum tam blande, tam leniter vires suas exerit, ut sine omni metu in omni morbi occasione exhiberi possit, LOCHNERUS *Ephem. N. C.* Dosis drachinæ tres, unciâ semis, una, in decocto, in pulvere a granis quindecim ad triginta.

PRÆPARATA. *Essentia laudabilis.*

PETROSELINUM *Offic. APIUM Botanicorum.* Classis Naturalis Umbelliferarum. *Germ. Peterfill. Gallis Persil. Anglis Parsley.*

APIUM *foliis caulinis linearibus*, venenum avibus SAUVAGES *Acad. des Sciences 1739.* Culinis ob gratum odorem, & saporem, notum, plurimum medicamentosum, resolvens, discutiens, diureticum. Folia in cataplasma contusa, cum urina cocta, luxationibus conducunt, & tumoribus a casu, ictu; etiam sanguinem extravasatum dividunt. Succus pellendis pediculis polychrestus *Aët. N. C.* adhæc vulnerarius, morsibus apum, vesparum utilis, etiam diureticus cochlearium aliquot dosi. In officinis radix habetur; sunt etiam femina. Inter præparata *aqua stillatitia* numeratur.

POLYGALA *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Papilion. *Germ. Kreuzblume. Anglis Milkwort.*

I. POLYGALA *senega, floribus imberbibus spicatis, caule erecto herbaceo simplicissimo, foliis lato-*  
lan-

*lanceolatis*, definitur planta in Virginia, Pennsylvania, Marilandia crescens, cuius radix ab aliquot hinc annis in usum in nonnullis officinis trahi cœpit, quæ tamen nostris adhuc invisa sit. Radix ipsa acris, urensque, acido singulari temperata evacuationes fere omnes adaugere solet, maxime vero diuresim & expectorationem, quandoque etiam vomitum, aut alvinam purgationem ciere.

USUS MEDICUS in ictu crotalophori specificus Americanis inventus, spem facit in nostrarum viperarum moribus prodesse posse; deinde TENNENTIO specifica inventa radix in Pleuritide, & Peripneumonia, tum aliis in Hydrope, Arthritide, Podagra, Rheumatismo, incipiente Phthisi non sine successu probata est. Dabatur medicamentum forma pulveris granorum XXXV. dosi; forma tincturæ vinosæ, dum uncia IV. infunderentur libræ I vini canariensis, starentque per tres dies in digestionem in loco calido, & colaturæ darentur cochlearia III pro dosi; forma decocti, dum uncia III in libris II aquæ fontanæ coquerentur ad tertiæ partis consumptionem, & colaturæ cum expressione factæ, cochlearia III exhiberentur tepide.

II. POLYGALA *vulgaris*, floribus cristatis racemosis, caulibus herbaceis simplicibus procumbentibus, foliis lineari-lanceolatis, nostrarum regionum incola planta, priori ab aliquibus substituta fuit; sed imbecillior deprehensa est, & cum bono effectu data in Pleuritide *Acad. des Sciences 1740.* & nuper non sine successu phthisi opposita fuit in nosocomiis nostris. Eadem est ac prioris forma, & dosi, tum etiam in alias formas facile cogi potest.

POR.

PORRUM p. 82. Quod, ut & ficeus promptissimum est diureticum. *Ephem. N. C.*

RIBIUM *baccae nigrae* P. I. p. 55.

RUBIA tinctorum p. 29.

RUSCUS *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Incompletarum. *Ital. Brusco. German. Bruschen. Gall. Brusc du Fricon. Anglis Kneeholly.*

RUSCUS *foliis supine floriferis, nudis, mucronatis, succo acris, amaro, styptico gaudet.* Radix diuretica, emmenagoga, in decocto varioris est usus, militat inter radices quinque aperientes maiores; efficax medicina radix in urinæ difficultate, nephriticis symptomatibus, vesicæ calculis, ZANNICHELLI *de Rusco.* Bacças instar Coffe ustas, & simili potu sumptas, urinam multum movere IDEM, qui hanc præparationem baccarum aliis præfert.

SAXIFRAGIA *Offic. Botanicor.* SAXIFRAGA Classis Pauci-stam. *Germ. Weisser Steinhrech. Anglis White Saxifrage.*

SAXIFRAGA *radice granulosa, foliis reniformibus, lobatis, acris, multum diuretica habetur, sed quod infida, exoleta.* LINNÆUS.

SCILLA. p. 83.

SUCCI Acidi Citri P. I. p. 39.

*Limoniorum* P. I. p. 47.

*Ribesorum* P. I. p. 55.

VALERIANA *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Fructiflorarum. *Germ.* Baldrian. *Gallicis* Valeriane. *Anglis* Valerian. *Italica* Valeriana.

VALERIANÆ *floribus triandriis, foliis omnibus pinnatis, ut & Valerianæ floribus triandriis, foliis caulinis pinnatis, radicalibus indivisis, radices officinis receptæ sunt: prioris præstantiores, LINNÆUS, posterioris Phu dictæ, exoletæ.*

Succus expressus evaporatus dat sal crystallinum. HILL *de Diaphoreticis.* Aliquid narcotici habet, cum aromate penetranti, in epilepsia maxime laudata olim, etiam hodiernis experimentis comprobata est CRUGERO. *Ephem. N. C. Decad. 2. Anno 7.* in epilepsia ab ira, & alia a terrore, drachmæ dosi in aqua cardui benedicti, theriaca divite, sumpta. In epilepsia ex retentione mensium, LENTILLIUS *Ephem. Decad. 3. Anno 3.* etiam in inveterata epilepsia drachmæ unius, unius semis, duarum dosi probata MARCHANTIO *Acad. des Sciences.* Ad unciam semis, bis, ter in die datur in Nosocomio Regio Edimburgensi. In convulsionibus, passione hysterica, etiam laudatur, BRADLEY *a Course of lectures upon the Materia Medica,* tum demum peculiariter in debilitate visus EIDEM extollitur.

VINA tenuia acida

*Austriaca*

*Mosellana*

*Rhenana.*

VIR-

VIRGA AUREA *Offic. Botanicorum* SOLIDAGO. Classis Naturalis Compositarum Radiatarum. *Germ.* Gulden-Wunderkraut. *Gallis* Verge d'or. *Anglis* Golden-rod.

SOLIDAGO *caule erecto, racemis alternis erectis*, balsamica planta, inter vulnerarias princeps, PARACELsus, RAIUS, BUXBAUM, PONTEDEra. Ad viscerum ulcera, maxime renum, vesicæ, urethræ, quod has vias affectet, laudatur omnium consensu, quin etiam in febre hectica, NENTERUS. In experimento adhuc deprehenditur diuretica, ut ob hanc vim calculo adhibita, BEVEROVIC. GRULING. Trium drachmarum pondere, intervallo octo horarum, sumpta calculum pepulit GERLI, & unam drachmam per triduum in vino sumptam supra fidem acerbissimum morbum sefellisse iam BERCLAIUS, tum integra capita cocta specificè ad aquam inter cutem valere PONTEDEra; etiam faucium ulceribus SCHWENCKFELD, laceratæ in partu vesicæ mederi TETTELBACHIUS; extractum, quod in officinis desideratur, in ischuria, calculo, ulcere renum, & vesicæ, multum valere, ZORN.

URTICA *Offic. Botanicorum*. Classis Naturalis Incompletarum. *Germ.* Nessel. *Gallis* Ortie. *Anglis* Nettles.

URTICA *foliis oblongo-cordatis*, urinas pellit, & præstans est remedium antinephriticum in decocto SPIES, ad rupturas vasorum interiorum etiam hodie in succo adhibetur, in hæmoptysi LASERME probavit. Porro externe rubefaciendi vim habet, urens



tactu planta, & notæ sunt familiares veteribus paralyticorum membrorum urticationes, quarum successum in paralyfi *Acad. des Sciences* 1741. recentissime haufit.

## ANIMALIA ET ALIA.

LAPIDES Cancrorum

OSTRACODERMATA } acido soluta. p. 131. sq.

MILLEPEDES *Offic. Histor. Natur.* ONISCUS. Classis Insectorum. Ordo Aptero-  
rum. *Anglis* Sow-Bugs. *Germ.* Keller-Würme.

**O**NISCUS *cauda obtusa, bifurca*, multo sale volatili gaudet, diuretico, stimulante, incidente, in incipiente cataracta plurimum laudato, sive in succo, sive in pulvere: etiam inventus in suppressione urinæ a causa mucosa, in ipso calculo utilis, LAUREMBERGII propria experientia. Dosis pulveris scrupulus unus, drachma semis, aliquoties de die. Numero decem ad centum in mortario cum vino contunduntur, ut inde succus proliciatur, qui pulvere efficacior fit. Examen chemicum ex Millepedibus etiam alia producit sic Millepedum libra una, spiritus alcalini uncias tres, olei empyreumatici unciam, salis volatilis drachmas quatuor cum dimidia præbuit, carbo uncias decem æquans calcinatus, edidit drachmas tres salis alcalini fixi, levis, suavi odore nares ferientis. SPIELMANN. l. c.

Huc etiam faciunt

SUCCUS *Conchyliorum.*

*Ostreorum.*

*Millepedum.*

His

II. DIURET. ANIM. ET ALIA. 185

His omnino & ex fossili materie addi plurima possunt, & salia pæne omnia & aquæ medicatæ plurimæ; his in casibus admodum familiares, & acidi

SPIRITUS *Vitrioli*

*Salis*

*Nitri.*

DIURESIM SISTENTIA.

1. Adstringentia, Roborantia p. 13. fq.
2. Mucilaginosa p. 9. &c.
3. Opiata alibi dicenda.
4. Sudorifera. p. 155. &c. cum Regimine calido.



M 5

CLAS-

## CLASSIS DECIMA

## EVACUANTIUM.

III. EMMENAGOGA, ET  
ARISTOLOCHICA.

Quæ menstrua movent, EMMENAGOGA, quæ lochia, ARISTOLOCHICA dicuntur. Horum varia est pro varietate causæ materia: si enim in fibram maior rigiditas, tensio, elasticitas, spasmus, refundi possit, Emollientia, Laxantia, Antihysterica, tum Emmenagoga, & Aristolochica sunt; si sanguinis adsit penuria, hæmatopoiesin augentia; si abundantis tenacitas, spissitudo peccet, Diluentia, Saponacea; si demum mucosi visciditas culpari potest, Incidentia, Stimulantia, auxilio sunt.

Indicantur uno ab ætate,  
2do a Plethora,  
3tio a morbo hinc pendente.

Præter illa, quæ inter cardiaca stimulantia dicta, etiam inter sudorifera relata varia forma sumpta, potu, vapore, fotu, incessu speciatim huc spectant

ARISTOLOCHIA *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Fructiflorarum. *Germ.* Osterlucsey. *Gallis* Aristoloche. *Anglis* Birthwort.

ARISTOLOCHIA *caule ramoso, floribus solitariis, erectis.* Duas una definitione, officina aristolochias

chias complectitur, *rotundam* nempe, & *longam*: utraque aromatica, amara, acris est, rotunda tamen efficacior longa, morbis uteri frigidis dicata, ut etiam epilepsiæ ab utero proffit, SCHONBORN, FERNEL, suppressioni mensium a mucositate medeatur, asthmati humoralis, orthopnœæ obveniat, FERNEL. Specificum in podagra medicamen alii voluere, sed experimenta non respondent; antiarthritica tamen adhuc video laudari tincturam, & extractum, granorum quindecim dosi *Ephemerid.* N. C. Externe carnem mortuam corrodit pulvis, sive in ulcere, sive fistula, FALLOPIUS, & hodie ubique adhibetur. Pulvere aristolochiæ longæ in aqua veronicæ cocto, & cum petiis applicato, ulcus tibiæ cacoethes, quod anni spatio frustra chirurgus obligarat, paucorum dierum spatio consolidavit SIM. PAULI, & ad genitalium ulcera laudat TRAGUS. Interne utraque in pulvere datur, a scrupulo ad drachmam semis, in decocto drachmarum duarum, trium pondere, sed amarum est: in usum externum uncia semis dosi præscribitur. Aristolochia vulgaris hodie non est magni usus.

ARTEMISIA P. I. p. 128.

CHAMÆMELUM *Offic. Botanicorum* MATRICARIA. Classis Naturalis Compositarum Radiatarum.

MATRICARIA *foliis pinnatis, pinnis latis, capillaribus, multifidis*, odorata, amara est, uterina, carminans, antinephritica, in balneis, clysteribus, sæpius recepta.

CHA-

CHAMOMILLA *Offic. Botanicorum* CHAMÆMELUM. Classis Naturalis Compositarum Radiatarum. *Germ.* Camillen. *Gallis* Camomille. *Anglis* Cammomile.

CHAMÆMELUM *foliis lanuginosis, pinnatis, pinnis capillariter multifidis, præcedenti efficacius, menses pellit, dolores uteri spurios, intestinorum colicos, sopit. Externe potenter resolvit, discutit, lenit, tumoribus applicatum: familiari in usu est. In pulvere scrupulus unus, drachma semis datur, in infuso manipulus semis præscribitur, maiorem quantitatem cataplasma deposcit.*

CANCROCORUM LAPIDES aceto saturati.

CROCUS P. I. p. 114.

DICTAMNUS P. I. p. 154.

GUMMI RESINOSA Corpora & his affinia.

ASA foetida.

AMMONIACUM.

BDELIUM.

OPOPANAX.

MYRRHA.

SAGAPENUM.

FERRUM p. 65. sq.

MARRUBIUM album *Offic. Botanicor.* Classis Naturalis Ringentium. *Germ.* Andorn. *Gallis* Marrubin, *Anglis* Horehound.

MARRUBIUM *denticulis calycinis fetaceis, uncinatis* in decocto sanguini mixtum, hunc rubicundiorum,

rem, & fluidiorem, quam spiritus falis ammoniaci reddit, SCHWENKE, ut deobstruens, attenuans egregium in infarctu viscerum, hæmorrhoidibus: prodesse in eductione puris tenacis cum melle incoctum, imo etiam valere expressum succum, BOERHAAVE probavit, confirmavit LOESEKE. Scirrhum hepatis etiam dissolvere posse, CHOMEL. Cæterum inter emmenagoga non infimum locum habet BORELLO, & alii. Ptyalismum mercurialem iuvare LINNÆUS.

Prostat aliquibus in officinis *Syrupus* de prasio.

MATRICARIA *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Compositarum Radiatarum. *Germ.* Mutter-Kraut. *Gallis* Matricaire. *Anglis* Feverfew.

MATRICARIA *foliis pinnatis, ovato-incisis, pedunculis ramosis,* multi aromatis, singularis tamen planta, ictero dicata est, menses evocat, uterum purgat, dolores a partu sopit, potu, fotu, clysmate. Datur in pulvere ad scrupulum, drachmam semis; succus etiam ad unciam unam: ad libram aquæ herbæ manipulus semis infunditur, etiam instar Thee comæ, seu summitates sumuntur. Debilior chamæmelo est HAL- LERO. Scopo carminante clysteribus etiam sæpius recipitur.

PRÆPARATA. *Aqua* stillatitia, *oleum* stillatitium.

MELISSA P. I. p. 117.

MENTHA. P. I. p. 154.

MERCURIUS sexies sublimatus.

MEUM. p. 178.

PULEGIUM. P. I. p. 157.

PUR.

PURGANTIA ita inter purgantia uterina primum locum occupat Aloe sed refracta dosi & sæpius data ad grana tria vel quatuor vel mixta cum gummi aromaticis. Valent etiam in eandem rem eius Composita ut Elixir proprietatis vel massa pilularum Ruffi refracta dosi data. Iuvant pariter Bryonia & Colocynthis & horum composita causa frigida suppressionem Mensium faciente, maxime vero Hellebori nigri vis; & imperatur tincturæ Hellebori nigri cochleare inimum ex aquæ tepesactæ haustulo aut alio modo medicamentis aliis mixta.

ROSMARINUS p. 163.

RUTA P. I. p. 157.

SABINA. P. I. p. 158.

SALIA ut Borax alia.

Hæc vero medicamenta plurima adiuvant adminicula & motus & frictio & Cucurbitæ & admissi in genitalia vapores &c.

---

## ANTI-EMMENAGOGA, ET ANTI-ARISTOLOCHICA.

1. Revellentia Chirurgica.
2. Adstringentia.
3. Inviscantia.
4. Opiata.
5. Repercutientia frigida.



CLAS-

## CLASSIS UNDECIMA.

## EVACUANTIUM

## IV. APOPHLEGMATISONTA

SIVE

ERRHINNA, &amp; PTARMICA.

Quæ in nares immiffa, vel hauffa, medicamenta mucum maiori copia eliciunt, fternutationem movent, talia habentur. Hæc petuntur

I. Ex aromaticis fimulantibus, ut

MAIORANA. P. I. p. 152.

MARUM. P. I. p. 153.

SALVIA P. I. p. 159.

II. Ex antifeorbuticis. p. 78. feq.

III. Ex acribus.

ASARI pulvis ad grana tria, quatuor, in Cephalalgia prodeft, PITT. SCHULZE. In cafu materiæ purulentæ in capite collectæ DESMARS *Recueil periodique d'observations.* T. VII.

NIGELLA *Offic. Botanicorum* Classis Multiflam. *Germ.* Narden-Saamen. *Gallis* Niefle. *Anglis* Nigella. Fennelflower.

NIGELLÆ *petalis fubtricuspidatis, foliis fubpilis*, femen, acre, aromaticum, fuaveolens, interno  
vix



vix receptum usu, licet ad lochia promovenda laudetur, inter sternutatoria acriora reponitur pulveratum. An rabiem caninam tollit? Confirmatio deest.

TABACUM *Offic. Botanicorum* NICOTIANA *Classis Pauci-flam. Germ. Tabac. Gal-  
lis Tabac.*

NICOTIANÆ *foliis lanceolatis*, solum naribus admotæ, sternutatoria omnibus nota efficacia est, attracti pulveris notior. Venenatam plantam experienta probant, ventriculum subvertentem, vomitoriam, etiam externe in cataplasmate applicatam epigastrio, *STEDMANN Society of Edimburgh T. II.* in fomento, brachiis, cruribusque, impositam *MARRIGUES Recueil periodique d'observations Tom. VII.* etiam narcoticam aliorum pericula habent. Repetita coctione ex emetica purgans fit, tum demum diaphoretica, diuretica, etiam pectoralis, *IENSENIUS Prod. Act. Havniens.* Decoctum aquosum ulcera mundat, cataplasma tumores aquosos potenter discutit, alios simul rubefacit; fumus hystericas movet, licet in corrigendo miasmate pestifero utilis.

Tabacæ fumus per fistulam in anum iniectus, in pertinacissimis alvi constipationibus, ileo, colica, herniis incarceratis, etiam tympanitide efficax, reseratione alvi; masticatio, fumi suctio, multis in usu sialagogo utilis, maxime vero laxis & udis corporibus. Profuit asthmaticis, hinc inde etiam quos extenuavit obesis. Est tamen quotidianus usus tantum non semper damnosus, & ex fumi suctione *Tabes, Apoplexiæ, Epilepsiæ, Pectoris, Hepatis, Ventriculi vitia* plures observarunt: nec qui senserit fumiphilum meminit *TYSSOTUS de Apoplexia.*

PTAR.

IV. APOPHLEGMATISONTA. 193

PTARMICA *Offic. Botanicorum* ACHIL-  
LEA *Classis Naturalis Compositarum Flori-*  
*bus Radiatis. Germ. Wild-Bertram. Anglis*  
*Sheere-wort.*

ACHILLEA *foliis integris, minutissime serratis,*  
*ubique fere obvia, acris, errhinna, sternutatoria est. Tota*  
*herba una cum radice contra mictum cruentum, aut*  
*uteri profluvium, in decocto in Sibiria assumitur. Clar.*  
*GMELIN, Fl. Sibiricæ T. II.*

IV. Ex Fortissimis.

Pulvis Rad. HELLEBORI albi. vide *Venena.*

EUPHORBII. *ibid.*

STERNUTATIONEM  
INHIBENTIA.

LAC tepidum naribus attractum.

DECOCTA, vapores plantarum emollientium.

MUCILAGINUM *Ufus.*

SEMINIS CYDONIORUM.

GUMMI TRAGACANTHÆ &c.

*Suffimigia, quæ debilitatas ab acris partes firmant.*

FLORUM BALAUSTIORUM.

MASTICHIS.

OLIBANI.

*Crantz M.M. T. II.*

N

SIA-

---



---

 SIALAGOGA.

Quæ salivam maiori quantitate eliciunt, SIALAGOGA dicuntur.

Indicantur in lue Venerea & morbis ab ea dependentibus ut Scabie, Lepra venereis &c.

Contra indicantur vero a leviori gradu luis a temperamento sicco & calido, a viribus ægri consumptis seu ab ipsa lue, seu ab aliis morbis. Gravidis non nisi artis Magistri mercurialia sialagoga exhibere debent.

Cæterum in tres Classes commode revocantur

I. Ea, quæ sanguinem ad hanc excretionem disponunt, qualia

Decocta attenuantia p. 72.

Diluentia imprimis

SCABIOSÆ p. 164.

BARDANÆ p. 72.

CHINÆ p. 159.

PARIETARIÆ p. 11.

Decocta SARSAPARILLÆ p. 125.

SASSAFRAS. P. I. p. 127.

SANTALORUM p. 164.

II. Ea

II. Ea, quæ organa salivalia magis irritant ad excretionem salivæ. Quo spectant

Collationes ex acribus, vel vapores ex iisdem.

MAIORANÆ.

NIGELLÆ.

ROSMARINI.

SALVIÆ.

SERPILLI.

TABACI.

THYMI.

Masticatio, ASARI p. 191.

PIPERIS. p. 82.

PYRETHRUM *Offic. Botanicorum* BUPHTHALMUM. *Classis Naturalis Compositarum Floribus Radiatis. Germ. Bertram. Gallis Pyrethre. Anglis Berthram.*

BUPHTHALMUM *caulibus simplicissimis, unifloris, foliis pinnato-multifidis, acrem, igneam, officinis radicem exhibet.*

USUS MEDICUS, radice, in aceto coctæ, denti carioso inditæ, in odontalgia non infimus, ab omni tempore laudatus, etiam nuper a *Cl. DELAITRE* forma elixir, dum radici pyrethri superfunderetur aqua vitæ, lavendulæ, addereturque aliquid salis ammoniaci, datum remedium, in humorum in gingivas decubitu dolente, deprædicatus *Recueil periodique &c.*

N 2

T. VIII.

T. VIII. Cæterum masticata radix vel sola, vel aliis intrita, sialagoga, multum etiam linguæ paralyfi proficua, inventa fuit.

Masticatio ZINGIBERIS, aliorum, mastiche exceptorum.

III. Ea, quæ proprie *Sialagoga* dicuntur.

MERCURIUS *Offic. Mineralogicæ* HYDRARGYRUM. Classis Naturalis Minerarum. Ordo Seminmetallorum fluidorum. *Germ.* Quecksilber. *Gallis* Mercure. *Anglis.* Quicksilver.

HYDRARGYRUM *nativum* W. fluidum, maxime divisibile, colore argenteo, in igne volatile, eodem nec calcinabile, nec vitrificabile, licet per se calcinatum in lentis maioris foco vitrescat, GEOFFROY. Metalla attrahit, & solvit, maxime aurum, argentum, plumbum, stannum, zincum &c. a spiritu nitri facile solvitur.

PRINCIPIA mercurii difficilia dictu, nec patre re magno BOERHAAVE, 500. vicibus materiem vexanti; terra vitrescibili, volatili, GEOFFROY, seu principio mercuriali mercurificante constare BAS. VALENTINUS.

VIS MEDICÆ, in morbis manifeste veneris, sit & huius profapiae larvatis, magnæ famæ; inunctus in Gallis, in aliis regionibus præparatus, per os sumptus mercurius, utroque modo humores solvens, & per glandulas salivales fœtidos educens. Sed an per salivationem venenum mercurius expellit? an iam in corpore domat? Quæstio hæcce exagitari in Gallis cepit

pit post visa experimenta TORRES, qui venereos omnes absque salivatione restituit. Experimenta huius viri decretoria sunt; salivatio ad curationem contribuit nihil, quin haud periculo, minus adhuc incommodo vacat, ut sanis & venereis salivam Mercurius solvit, acrem, rodentem exulcerantem facit. Ut demum ultimo in arcanam mercurium præparandi TORREANAM methodum sudatum, & statutum, depuratum artificii BOERHAAVIO descriptis mercurium, tum demum extinctum, inunctum salivationem amplius non movere, hanc vel TORREANAM methodum esse, vel illi analogam. Experimenta ipse vidi, tum etiam mercurium dulcem camphora nuptum salivationem non movere QUINCY; etiam decem uncias mercurii camphorati venereo, quem restituere, exhibitas absque salivatione, recentissime testatur RAISIN *Recueil periodique* &c. Tom. V. & mercurium lucem veneream per diuresim curasse, GMELIN *iter per Sibiriam*,

Sed etiam contraria experimenta monenda sunt, testatur repetitis de industria experimentis constare CL. ASTRUCIUS *Traité des Tumeurs* Paris 1759. Resuscitatum ex æthiope antimonii Mercurium, dein lotum & in aceto destillato coctum, extinctum, affricatum æque salivationem ac alium excitasse: & unguentum mercuriale camphoratum hanc æque ac non camphoratum movere.

Ultima demum in hanc rem Quæstio: an mercurii extincti inunctio, an præparati per os assumptio potior, discutienda est; utraque suos fautores habet. Est tamen mercurii depurati, salivationem non excitantis, inunctio præferenda, aut demum suffitus, hoc enim feliciorum & tutiorum quam inunctione mercuriali salivante,

vante, morbi venerei curationem tentari posse Parisien-  
fium Medicorum plurimi nuper statuere, imprimis  
THIEVLLIER in sua de hac re thesi 1752. Parisiis defensa.

Mercurio nec scirrhus, nec carcinoma, ni a causa  
venerea orta sint, unquam curatur, DARAN. *Acad. de  
Chirurgie* T. III. Canibus rabidis ad salivationem  
usque datus profuit ROB. JAMES *Biblioth. Britan.*  
T. XIV. p. 238. datus etiam hominibus a canibus de-  
morsis, prodest. IDEM. Adhæc etiam mercurii alka-  
lizati dotes probavit nuper in aliis morbis tutissimas  
HUXHAM de morbo colico *Dannoniorum*.

Cæterum crudus purus etiam aliis morbis adhibitus:  
Ad enecandos vermes aqua decocti mercurii laudata,  
cuius effectum anthelminticum repetitis experimentis  
BURSERIUS observare non potuit in praxi, nec in  
aqua solvi Mercurium in experimento physico Cl.  
MENGHINUS in *Bononiens. Scient. & Art. Instit. &  
Acad.* T. II. P. I. tamen ita epilepsiam a vermibus sa-  
navit HEISTER, febres, pestem ab iisdem SCHREI-  
BER. Ad pertinaces alvi constipationes, intestinorum  
intus susceptiones, ileum, quotidiano usu unciarum  
sex, octo, decem pondere, in oleo datur. In aliis  
casibus non semper tuta experimenta sunt, noxas enim  
post se relinquit sæpius assumptus. Calamo coercitum,  
e collo suspensum, lac abigere puerperis, plurimorum  
testimonia affirmant; hac methodo ad abigendum ex  
mammis lac feliciter usus DEGNERUS *Acad. N. C.*  
*Vol. V.* Terebinthina extinctum purgantibus, Rheo,  
Agarico, Aloe succotrinæ mixtum, & in formam pilu-  
larum redactum Epilepsiæ feliciter opposuere TRO-  
GHER, BORSIERI *Gazzette Salut.* 1762. N. XVII.

Un-

Unguentum mercuriale vulneri a rabido animali il-  
lato affricatum, cum interno usu turpethi mineralis,  
multos ab hydrophobia servavit, DARLUE *Recueil  
periodique* T. III. casus alios iterum, T. IV. & T. XV.  
1761 *mens. August.* hac methodo aliquos servavit HOIN,  
licet tamen alii interierint pacati, paralytici, imo un-  
guentum diu absque interruptione affricandum ad sali-  
vationem usque, quam etiam fovendam aliquo tempo-  
re monet, *ibidem* & eadem se, qua alios servarat me-  
thodo, curavit; ab initio vero statim hæc medicina  
adhibenda est, cum indurato malo sero paretur, IDEM,  
*Journal de Medecine* T. XIV. Avril 1761.

Cæterum in Gallia primus malo hoc remedium  
adhibuit DESSAUT; tumque cum thurbito minerali  
in canibus fecerat experimenta, evulgavit in Anglia JA-  
MES, ultimo etiam commentarium Academia Tolosa-  
næ de veris remediis antidotis mercurialibus misit CL.  
SAUVAGES. Sed iam dudum ante clarissimum hunc  
medicum tum purgationibus, tum inunctionibus mer-  
curialium, trecentos restituit Frater DU CHOISEL  
S. I. vide *Nouvelle Methode sure courte & facile pour  
le Traitement des Personnes attaquées de la Rage par  
le frere Claude du CHOISEL de la Comp. de Jesus  
Apothicaire de la mission de Pontichery. Paris 1756.*  
Et quia in gravissimo hoc morbo non satis ea recen-  
feri possunt, quæ hinc inde laudantur, illud etiam di-  
cam, quo 500. vel 600. curati, in *Journal Encyclo-  
pedique* T. II. Part. II. Mars. 1757. quod recipit  
pulveris reginæ prati, polypodii quercini, centaurei  
minoris, absynthii, hyperici, plantaginis, rutæ, be-  
tonicæ, artemisæ, melissæ, botrios ambrosioidis, sal-  
viæ, verbenæ, menthæ, ana partes æquales, pulv.



ostracodermatum calcinatorum triplum. Dosis drachma una in vini albi vitro,

Unguentum mercuriale aliud morbis cutaneis rebellibus inunctione utile nuper MALOUIN confecit, dum æquales mercurii, spiritus nitri, olei olivarum partes, puta unciam semis aut unam calidis digereret cineribus, donec mercurius solveretur.

## PRÆPARATA.

CINNABARIS ANTIMONII, fit ex sulphure antimonii, & argento vivo, dum acidum mercurii sublimati mercurium relinquens regulum rodit, & derelictus mercurius cum sulphure antimonii combinatur.

VIRES magnas habet, lenientes, & nervorum tremori medentes, HUNDERTMARCK de Saccharo Saturni. Datur a granis quinque ad scrupulum unum. An cinnabari vulgari præstantior? multi affirmant, multi negant.

CINNABARIS FACTITIA vulgaris ex æthiope minerali, vel sine igne, vel cum igne confecto, sublimationis beneficio obtinetur, non caste, quod sulphuris quantitas in æthiope maior operationi impedi-  
menti, & sublimato nigredinis causa, MACQUER. Sulphuris quantitas in cinnabari ad quantitatem mercurii est ut 1. ad 7. LEMERY. Factitiam hanc vulgarem a nativa haud distinctam fere omnes consentiunt; fit tamen alia etiam tenerior longe, farinosa, pulchrior hoc modo, via humida, dictante SCHULZIO. & Mercurii currentis optime depurati q. v. puta drachmam  
semis,

IV. APOPHLEGMATISONTA. 201

femis, huic in vitro angustissimi orificii affunde tincturam sulphuris volatilis, sive liquoris permeantis BOYLEY, vitroque, quod ultra medietatem repletum esse non debet, bene munito, creberrima agitatione sæpius de die reiterata, mercurium in atomos redige, sic ipse primo nigrescet, continuata vero per vices concussatione, leni caloris digestionem accedente, intra dies aliquot in pulverem rubicundissimum convertetur. *Ephem. N. C. decad. 2. Anno 6.* An ab hac aliquid in usum medicum sperari possit? Experimenta desunt,

CINNABARIS NATIVA *Offic.* HYDRARGYRUM *Mineralogiae.* Classis Naturalis Minerarum. Ordo Semimetallicarum. *Germ.* Cinnober. *Gallis* Cinabre. *Anglis* Cinnabar.

HYDRARGYRUM, *sulphure mineralisatum, minera rubra* WALLERIO definitum, purum, unam septimam sulphuris, sex vero, etiam plures partes mercurii habet, IDEM; septem octavæ mercurius sunt, MACQUER. Unde & gravis, & volatilis cinnabaris, sublimationis beneficio a mercurio absque intermedio non facile separatur, IDEM, quo tamen in minera Almadensi Hispaniæ non opus, IDEM. Optima cinnabaris nativa Hungarica, QUINCY,

USUS MEDICUS ab omni tempore multus, improbat *Cl. CARTHEUSERO*, quod nostris humoribus non solvatur, an convincente argumento? an non idem de mercurio, activo tamen, dici potest? Contra epilepsiam, obstructis minimis vasis, expertus laudat CRATO, physicam in hoc casu actionem illustravit QUINCY, ALLEYNE. Valet etiam in morbis

venereis certissimo experimento, QUINCY, ALLEYNÉ; hac nihil efficacius in morbis cutaneis, lepra, IDEM: ad alia alii laudant. Dosis a granis quinque, ad decem, viginti.

ÆTHIOPS MINERALIS, trito cum sulphure mercurio fit. Pulvis primo fuscus, dein nigerrimus, duplici methodo obtinetur, vel simplici, non interveniente igne, triturationis connubio, *apuros* dictus, vel dum fuso ad ignem sulphuri in pluviam mercurius immittitur, & ut dispereat interitur: sunt qui hanc adhuc pastam, ut totum in auras disperdatur sulphur, accendant, alii vero sine ulla nova combustionem iam servant.

Virtutem medicatam quod spectat, non unus est, idemque omnium consensus, dum iners medicamentum, & forte solum ad vermes utile habent post BOERHAAVE, HUNDERTMARCK & pauci hinc inde alii, quod LEMERY observare non potuit, & multum negat SCHULZIUS *Praelect. in Dispen. Brandeb.* est quidem ad usum internum *apuros*, igne parato imbecillior IDEM & LEMERY, & *Act. Acad. N. C. Vol. I.* non ideo tamen iners æthiops, sed solum maiori dosi dandus a gr. X ad XXX. Pro usu externo vero in suffitu hic aptior, dum nempe æthiopsis mineralis, ex una Hydrargyri libra & florum sulphuris unciis quatuor, trituratione per undeviginti horas in mortario vitreo instituta, confecti drachmam carbonibus iniectam, vaporis forma, ore, & oculis clausis, suscipit veneris pallio ad hanc rem apto bene tectus, ut valide sudet; deprehensum enim est & tutam hanc curandi rationem esse & multis profuisse.

Æthiops

#### IV. APOPHLEGMATISONTA. 203

Æthiops mineralis igne paratus, & in Asthmate, & in Scrophulis, & in Rheumatismis, LEMERY laudatus, in glandularum Colli, Maxillarum, Parotidumque tumore inveterato, & fistula SCHULZ efficax visus, & in quartanis & in glandularum intestinorum, Mesenterii, morbis aliis, contra vermes, & humorum acrimoniam infallibile habet BRADLEY a *Course of Lectures upon de Materia Medica. London 1730.* dosis gr. X. XV. XX. Cæterum ipsi viderint, qui cinnabari vires nullas tribuentes, æthiopi minerali concedunt, ut sibi consent, dum sua ipsi argumenta enervant, an in aqua solubilis æthiops? an non cum fæcibus & hic, ut cinnabaris excernitur? citius actum per intestina facere utrumque, & æthiopem, & cinnabarium, iam Cl. BOERHAAVE vidit, & tamen hæc sola contra cinnabarium momenta sunt: sed æthiopem mineralem pyalismum quandoque excitasse hi viderunt, & cinnabarium factitiam alii.

#### MERCURIUS PRÆCIPITATUS RUBER.

Est calx mercurii spiritu nitri abstracto superstes, externis tantum usibus, absumendis excrescentiis, dicata.

#### MERCURIUS PRÆCIPITATUS ALBUS.

Est mercurius spiritu nitri igne solutus, solutione salis communis, vel spiritu salis, vel salis ammoniaci, præcipitatus, edulcoratus, siccatus. Non semper tutum medicamentum est, salivationem etiam movens assiduo usu, a granis duobus ad decem; externe pomatis miscetur ad morbos cutaneos; cum subtilissimo auri croco permiscebatur FR. HOFFMANNO, & enixe laudabatur in lue venerea, & lymphæ, & glandularum morbis in *Dissert. de Selectioribus Medicamentis.*

Etiam

Etiam in carie ossium laudavit RUYSCHIUS; & nuper grani unius saccharo permixti, per unum mensem, dein duorum per alterum, dosi, cariem ossis sanatam vidit *Clar. EYVN Comment. Societ. Scient. Harlemens.* P. II.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS FLAVUS seu TURBITH minerale, est massa flavescens, oleo vitrioli ab hydrargyro abstracto, residua, & tum valentior; debilior, si fiat præcipitatione cum oleo tartari per deliquium: utraque rari usus. Dosis grani unius, duorum. Laudatur turpethum minerale tam canibus, quam hominibus rabidis utile maiori dosi, in hydrophobia *Philosoph. Transact.* Nro. 441, dato, & interposito sæpe vomitorio, si a medicamento vomitus nullus. Hæc formula præfertur. *R.* Turpethi mineralis grana duodecim, rad. contraiervæ drachmam unam, theriacæ Androm. q. s. ut fiat bolus. Fiant tales tres, & unus sumatur semper ad noctem, superbibendo sudorifera. Turbith mineral. gr. VII, micæ panis q. s. alii imperant, & inde vomuisse canes & abundanter salivasse testatur TYSSOT, etiam multos evasisse dum tribus diebus consecutivis, dein per septimanam bis fumerent *Avis aux peuple.*

MERCURIUS PRÆCIPITATUS VIRIDIS. Ex mercurio, & cupro in spiritu nitri solutis, evaporatione, & digestionem cum aceto paratur, periculosum per superiora, & inferiora movens medicamentum.

MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS. Nihil aliud est, quam mercurius acido salis concentrato dives, sublimatus. Ob id diversis modis para-

paratur, vel ex mercurio vivo, sale communi, nitro, spiritu nitri; vel ex præcipitato rubro, & sale communi, spiritu falis; vel ex eodem sale communi, vitriolo calcinato, oleo vitrioli. Vix interest, quæ intermedia sint acida fortiora, cum eius compositionem non ingredientur, nam si in sublimatione mercurii corrosivi etiam duplices quantitates falis marini & vitrioli sumantur, næ ideo mercurius maiorem quantitatem acidi suscipit *Acad. des Sciences 1754.*

Non exiguam tamen in his differentiam esse pro præparandi mercurii sublimati corrosivi facilitate iam dudum BOULDUCIUS *Acad. des Sciences 1730* monuerat, & tam in his acidis quam in Encheiresibus artificium, quo maiore falis acidi quantitate imprægnari mercurius possit, nuper MALOUIN *Chymie*, sed etiam ante hos demonstravit *Acad. des Sciences 1709* LEMERY, cum sale decrepitato solo, & mercurio, sublimatum corrosivum obtineri mitius. Cæterum terribile venenum est, a cuius interno usu fere semper abstinere medici, licet iam olim in Germania magna satis dosi in aqua solutum exhiberent alii; sublimati corrosivi ut in officinis habetur granum dimidium in uncia una spiritus frumenti, hinc grana duodecim in unciis viginti quatuor solvit L. B. VAN SWIETEN; dedit de die unum, duo, tria etiam cochlearia, superpotando decoctum hordei, bardanæ, maxima copia, & pertinacissimos morbos venereos, etiam alios, persanare docuit. Confirmantur curationes *Medical observations and inquiries by a Society of physicians in London Vol. I.* etiam *Journal de Medecine Chirurgie & Pharmacie. T. XIV. 1761.* a Cl. MARTEAU. Quoniam vero adeo ingratum medicamentum spiritus frumenti est, an non liceret id adhibere artificium, quod *Act. Acad. Mogunt. Tom. I.*  
pro-

proponitur, scilicet, ut spiritus frumenti a cineribus clavellatis rectificatus, cumque edulcorata atra illa, a destillatione liquoris anodynii mineralis massa residua, iunctus, per viginti quatuor horas digeratur, tum demum destilletur, quo spiritus ille, odore, & sapore, gallico similis redditur, & æquali puræ aquæ quantitate permixtus potari possit. Aliquam mercurii sublimati partem, cum pinguedine coctam, in summo luis gradu a Sibirizæ incolis sumi cum lethali eventu *GMELIN Floræ T. 2.* Sublimatus corrosivus in lacte feli datus intra quinque horæ minuta animal rapuit, cani, quod sæpius evomuerit, non obfuit. *SPROEGEL.* Funestæ tragædiæ a mercurio sublimato recensentur *WEDLIO, FR. HOFFMANNO,* ubi legi possunt. Salus in alcalinis tam fixis quam volatilibus; ita decocto albo *SYDENHAMI,* aquis destillatis anodynis oleo tartari remixtis, symptomata gravissima profligavit *KRAMMERUS Commer. Litt. Norimb. 1735;* quid quod etiam butyrum antimonii cum alcali medicina fiat. Caterum adhuc sal commune aqua solutum epotum in hoc casu laudant Medici Angli.

In mortario marmoreo teri nunquam debet mercurius sublimatus, quod pharmacopoeis inculcandum.

**MERCURIUS DULCIS,** seu **CALOMEL** Anglorum, ex mercurio sublimato, & mercurio vivo intritis, & sublimatis sæpius, exurgens, maxime familiare est mercurii præparatum, in 1100. partibus aquæ ferventis solum solubile, *ROUELLE Acad. des Sciences 1754.* tam ad luem veneream, quam alios rebelles morbos per salivationem, vel etiam sine hac extirpandos valet. In obstructione viscerum abdominalium, glandularum, *BRUNNERUS,* in febribus quar-

quartanis curandis, SCHULZE, in aliis rebellibus corporis humani morbis FR. HOFFMANN, refracta dosi, ut salivationem non excitaret, multum usi sunt, qui etiam ad scrophulosos tumores, & ulcera, multum laudant, & adhibent: In hac vero curatione ab acidis cavendum, corrosivus enim evadit acido occurrens, VESTI. Cavendum a salibus, maxime ammoniacalibus, & alcalinis, quibus commixtus salivationem & alia pessima symptomata facit. FR. HOFFMANN. Neque cum salibus neutris facile maritandus, WEDELIUS. Mercurium dulcem cum camphora mixtum, in angina gangrænosa, cortice peruviano non curanda, feliciter adhibuisse DOUGLAS, *Medical observations and inquiries &c.* legimus.

Est adhuc id tenendum, huius parcum usum alvum solvere, frequentiore salivam movere, sæpius sublimati sudorem facere. Cæterum salivandi scopo continuæ doses dantur, granorum quatuor, sex, per aliquot dies, cum æquali quantitate pulveris absorbentis, sensim augendo dosim mercurii grano uno. Infantibus recens natis lue infectis, grana tria in lacte cum saccharo, per viginti, triginta dies, exhibentur. Externe cum saturni saccharo coniunctus, ulcera penis venerea, titillatione, pruritu, dolore stipata feliciter percurare solet; ignorari tamen non debet mercurialia præparata longo usu externe applicata inducendo scorbuto aptissima esse.

PANACEA mercurii, est mercurius dulcis sæpius sublimatus, & ad ultimum cum spiritu vini rectificatissimo abstractus.

Ca.



Cæterum etiam contra luem veneream a KALMIO, tum LINNÆO laudatæ radices, Lobeliæ, Ceanthus, & Diervillæ: ulteriora tentamina defunt, expectantur.

### SALIVATIONEM INHIBENTIA.

Decocta blanda inviscantia

ALTHEÆ

MALVÆ

LIQUIRITIÆ.

Emulsiões blandæ oleosæ, anodynæ.

Purgantia per os assumpta, per anum iniecta.

Vesicatoria, ubi suffocatio timenda etiam nonnullis in usu sunt.



V. EME-

## V. E M E T I C A.

Quæ medicamenta ventriculum subvertunt, & in eo contenta per os expellunt, VOMITORIA dicuntur.

Indicantur

1. In casu assumpti veneni, in ventriculo adhuc hærentis.
2. ab amarore oris, ructu, nausea, ventriculi morfu.
3. a spontaneo, eoque facili vomitu.
4. a saburra mobili.
5. a natura generali morbi, vel epidemica: ita in febre variolosa, ubi pustulæ stato tempore non apparent, vel sub cute depressæ manent, emetico nihil melius. HUXHAM *essais sur les fievres.*

PRÆPARATIO fit per salia digestiva, per lubricationem viarum, per venæ sectionem in plethorico.

Excitatur 1. Mechanica irritatione faucium.

2. Idea ingrata.
3. Agitatione non consueta, ut in mari &c.
4. Tepidis aquosis, oleosis, per observationes.

Crantz. M. M. T. II.

○

ASA.

ASARUM *Offic. Botanicorum.* Classis Natur.  
Incompletar. *Gallis* Cabaret. *Germ.* Hasel-  
wurtz. *Anglis* Asarabacca.

ASARI *foliis petiolatis, subcordatis floribus trifidis, acris, amari, tam radix, quam folia, vomitum, & secessum movent.* Radix quidem pulverata drachmæ semis, infusa unius pondere, folia infusa Nro quinque, sex, septem. Est vero in hanc rem attentione dignum, infusiones aquosas vix emeticas, aut purgantes, solum alterantes, in febribus intermittentibus utiles, HELMONT, vinosas ventriculum, & alvum sollicitare constantius. De aliis viribus alibi dictum inter diuretica.

CATAPUTIÆ minoris

maioris *semen.* Vide *Venena.*

EBULI *Cortex* p. 73.

ELATERIUM vide *Venena.*

ESULA vide *Venena.*

EUPATORII *Radix* p. 176.

EUPHORBIIUM vide *Venena.*

GENISTA *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis  
Papilion. *Germ.* Ginster. *Gallis* Genest. *Anglis* Broom. *Italis* Genestra.

GENISTÆ *foliis lanceolatis, ramis teretibus, striatis, semina, gustu ingrata, nauseosa, vomitum saepe & alvum, neque tamen id semper, movent.* Planta in vino cocta utilis hydropicis, GEOFFROY, MOEHRING, pulvis seminum in hydromellite, RA-

IUS.

rus. Ad calculum valere observavi drachmæ semis do-  
si, bis ter de die, cum leni plantæ decocto.

HELLEBORUS vide *Venena*.

SPECIFICA EMETICA.

IPECACUANHA *Offic.* LONICERA *Bo-*  
*tanicarum.* Classis Naturalis Fructiflorarum.  
*Germ.* Gold-Ertz.

LONICERA *caule procumbente, repente, foliis*  
*obverse ovatis, acutis, scabris, radicem exhibet, fami-*  
*liare, & tutum emeticum, vix fallens, operationem*  
*suam citius tartaro emetico expediens, FR. HOFF-*  
*MANN. de Selectior. Medic. nec maiori dosi molestum*  
*L. B. van SWIETEN. Praxis scopo emetico in pulve-*  
*re scrupulum unum, duos, adulto imperat: Infanti-*  
*bus cum saccharo grana tria, quatuor dantur, in infu-*  
*so adultis drachma una, duæ. Ea formula, quæ hu-*  
*ius radice, ut & rhabarbari electi ana grana octo reci-*  
*pit, laudatissima, semper satisfacit SPIERLING, BUCH-*  
*WALD, IENSENIUS Prod. Act. Havniensium, &*  
*nuper Cl. Vir SAMUEL PYE minimas ipecacuanhæ,*  
*doses exhibendas esse commentario monuit, adiectis*  
*plurimarum observationum tabulis, quibus comproba-*  
*ret, grana II aut demum IV illi constanter suffecisse.*  
*Medical observations and inquiries by a Society of phy-*  
*sicians in London Vol. I. Quondam in dysenteria ha-*  
*bebatur specificum, sed præ aliis emeticis nihil habet, &*  
*dysenteriam emetica ideo tantum tollunt, quod morbi*  
*fomitum ex ventriculo evacuent, & motum antiperi-*  
*stalticum augeant. Sed est etiam adhuc roborans ipe-*  
*cacuanha, & minori dosi data multum incidens pitui-*  
*tam. Cocta parum purgat, magis diuretica, sudorife-*  
*ra,*

ra, emmenagoga evadit, LINNÆUS *dissert. circa Vi-  
res plantarum* scribens.

SYRUPUS emeticus

TARTARUS emeticus

VINUM emeticum

VITRIOLUM album p. 57.

} vide *Antimonium*.

### VOMITUM SEDANTIA.

1. Diluentia.
2. Saponacea.
3. Oleosa.
4. Acida.
5. Opiata.
6. Specifica. *Mentha*, & eius præparationes.



VI. PUR-

## VI. PURGANTIA.

Quæ in ventriculo, & intestinis contenta, ut etiam corporis humores per alvum educunt, PURGANTIA sunt.

Indicantur

1. a fluxu alvi non colliquativo.
2. a saburra ibi loci.
3. a natura singulari, generali epidemica morbi.
4. a coctione.
5. a revulsione.
6. In colica pictonum cum anodynis. GRASHUIS,  
HUXHAM.
7. In vermibus.

Petuntur hæc ex diluentibus, simul leniter stimulantibus, magna copia, ieiuno stomacho, in frigore moderato haustis.

AQUÆ MEDICATÆ *Offic. Hydrolog. Sapidæ.* Classis Naturalis Aquarum terrestrium Ordo Sapidarum. *Germ.* Gesundbrunn, Bäder. *Gallis* Eaux medicinales. *Anglis* The medicinal or mineral waters.

AQUÆ hæc a connubio mineralium minerales, a salutari effectu foteriæ, & ab acido acidulæ dictæ, ratione interni, vel externi usus in aquas medicatas, vel thermas dividuntur. Quod harum dotes spectat, sunt aliis potabilibus aquis graviore, quanquam simul spi-

rituosiores existant, Scaturientes dirissimo frigore in glaciem difficilius concedunt, multa cura asservatæ corruptioni resistunt, neglectæ vero maiorem quam aliæ concipiunt, quam acidum fossile minima quantitate additum prævertit. Hæ principiis variis constant, in omnibus eminentia dicam.

**AQUÆ ANTONIANÆ** spirituosæ, spiritu & sapore & odore acidulo mobilissimo instructæ, gratæ, temperatæ, nec alvum nec urinam nimium movent, præter spiritum mineralem, alcalinam terram, & sal commune continent. Hystericis, & hypochondriacis cum effectu dantur, etiam acute decumbentibus porriguntur.

**AQUÆ EGRANÆ**, sale mediæ naturæ vero **GLAUBERI** imprægnatæ, magis purgantes, infarctus viscerum multum levant.

**AQUÆ CAROLINÆ** sal medium cum magna quantitate alcali & terra calcarea possident, alvum & diuresim movent, in saburra atrabiliaria pulchre profunt, **L. B. VAN SWIETEN.**

**AQUÆ PIPERINÆ.** Simplicissimæ, spirituosæ, in simplici humorum dilutione, etiam acrimoniæ muriaticæ e sanguine elutione, conveniunt.

**AQUÆ PYRMONTANÆ**, spirituosæ, ferratæ, penetrantes specie salis mirabilis **GLAUBERI** & plurimis aliis constantes, maximam vim habent in morbis chronicis & rebellibus.

**AQUÆ ROITSCHENSES**, ferratæ. Labefacta post febres intermittentes, præmissis præmittendis, viscera firmant.

**AQUÆ**

AQUÆ SELTERANÆ sale alcalino divites, lixiviosæ mites, diuresim magis quam alvum sollicitant, in phthisi incipiente cum lacte utiles ZAFFIUS, in cacochymia purulenta L. B. VAN SWIETEN, item in acido austero in corpore prædominante IDEM *Comment. T. III.* Tum in Mania, & dementia repetito experimento probavit BONEKEN *Gazette Salut. Nro. I. 1762.*

AQUÆ SCHWALBACENSES ferratæ, inter Egranas, & Pymontanas quasi mediæ, licet Egranis magis spirituosæ hypochondriacis, & hysteriis suadentur.

AQUÆ SEDLICENSES salem neutrum, alvum sollicitantem, habent.

AQUÆ SPADANÆ, martiales, cum spiritu minerali acido sulphureo & spirituoso, levissimæ, alvum adstringentes, DE PRESSEUX in roborando venere exhaustos reliquis omnibus palmam præripiunt multiplici experimento TYSSOT. Fons *Geronsterinus*, paralyfi, atrophie a colica pictonum utilis, IDEM: in scorbuto *Savenirium* laudat, in ulceribus ex *Pouhontio* lotionem, clysmata etiam ex *Pouhontio* in vermibus utilia habet, IDEM; & quod mirum! omnia insecta, ranæ, pisces, hos fontes nunquam attingunt, attingentes moriuntur. Potantur in chlorosi, mensium defectu, & excessu, licet cæterum instantibus, vel etiam fluentibus non sumendæ. Non utilis hypochondriacis, scirrhis, fons *Geronsterinus*, ZAFFIUS; neque plethoricis, morbis capitis laborantibus, DE PRESSEUX. Convenit e contra pallidis, pituitosis, ad motus convulsivos, & leipothymiam proclivibus, IDEM; aliis *Savenerius*, & *Pouhontius* prodest.



Sub harum vero aquarum acidularum usu, tum ab alimentis alcalinis, tum ab eiusdem indolis medicamentis, etiam a saponibus abstinere convenit; contra vero indulgere motu. Assumuntur unius, duarum, trium, quatuorve librarum mensura per diem, oportet enim his ventriculum assuescere, summa enim illico dosis periculosa foret.

*EX SALINIS SEU NATRIS.*

**NATRUM** improprie quidem nonnulli hodie vocant, ex foteriis fontibus eductum sal medium, quod in longas quadratas & compressas crystallos coit, amarum fit, igne facile fundatur, & multa facilitate ad æquales fere portiones etiam in aqua frigida solvatur. Acidum eius vitriolicum est, basis terrea, aut illi magnesiæ similis, aut terreæ salis communis. Ex hisce vero clarum fit, Natrum hocce, Natrum veterum non esse. Cæterum illius species sequentes sunt.

**SAL CATHARTICUM AMARUM, s.**

**SAL ANGLICUM**, aut **EPSOMENSE**, quondam ex fonte, ad lapidis ab urbe Epsom distantia, factum ex muria aquæ marinæ, post marini salis crystallisationem residua hodie potissimum paratur, & in omnibus aliis regionibus æque parari ac in Anglia posset. Hic dicitur constare acido vitriolico, & basi magnesiæ simili; illis iisdem ac Sal Glauberi principiis, dum perhibent ex sale Epsomensi fieri sola dissolutione in aqua, & nova crystallisatione sale Glauberi, & vicissim ex soluto Glauberi sale, interrupta crystallisationis regularitate, sale obtineri Epsomensem. Cæterum in exigua aquæ quantitate hic sal facile solvitur.

SAL

SAL SEDLIZENSE quod ex libra vulgari aquæ  
II. drach. pondere elicetur.

SEIDSCHUTZENSE.

ELSTERANUM.

EGRANUM.

THERMARUM Carolinarum.

Scopo purgandi a drachmis duabus ad drachmas sex,  
unciam unam, exhibentur in libra semis, una aquæ,  
adiecta quæ palato grata sit aqua aliqua stillatitia. Sco-  
po diuretico vero aut minor salis, aut maior aquæ su-  
mitur quantitas, imperato simul regimine. His addi  
possunt

MAGNESIA alba. Terra calcarea est, acido ni-  
tri parum imprægnata, dicta p. 102.

SAL MIRABILE GLAUBERI.

EX LUBRICANTIBUS LENITER  
ACRIBUS SIMUL.

CASSIA FISTULA. *Offic. Botanicor.* Claf.  
fis Pauci-stam. *Germ.* Casien-Röslein. *Gallis*  
Casse. *Anglis* Cassia.

CASSIA *foliis quinque pinnis*, in filiqua pulpam  
demulcentem, leniter eccoproticam habet, multum  
laudatam, per setaceum traiectam puram, mundatam,  
etiam infantibus a drachma semis ad scrupulos duos,  
adultis a drachmis duabus ad unciam unam semis, cui  
& alia purgantia addi possunt: In decocto tota ab un-  
cia una ad tres datur, in clystere pulpa ad uncias duas

præscribitur: cum pulpa tamarindorum, sale medio, purgans antiphlogisticum concinnari solet, in initio morborum acutorum utile: optimum pariter gravidarum purgans est. Iam olim ad nephritidem calculosam, calculum, laudata cassia, multis adhuc in usu, & urinam viridi colore tingit.

MANNA *Offic. Botanicorum* FRAXINI succus. *Classis Naturalis Incomplet. Germ.* Manna. *Gallis* Manne. *Anglis* Manna.

FRAXINUS *floribus completis*, sponte, vel per vulnus lacrymam melleam, subdiaphanam fundit. Optima alba est, Calabrina. Hæc in aere humido liquefit, in aqua solvitur, & interveniente caloris beneficio etiam in spiritu vini; in aqua soluta, & in priorem consistentiam redacta, obscurioris coloris est, unde hæud depuranda.

Cæterum specificum eccoproticum est hoc medicamentum iunioribus unius, duarum drachmarum pondere solutum, adultioribus etiam duarum, imo trium unciarum mole exhibendum per se, minori vero dosi additis aliis, uti tartaro solubili, sale polychresto, cremore tartari, cassiæ, ut & Tamarindorum pulpa, quibus fatua mannæ dulcedo corrigatur; hocque modo conficitur remedium purgans antiphlogisticum nulli grave. Ipsa manna etiam in asthma humorali, & in morbis hypochondriacis, utilis habetur; contra calculum in se ipso expertus SYDENHAM.

PRÆPARATUM, *Syrupus Mannatus.*

MEL vide *antidota.*

MYROBALANI p. 18.

PO.

**POLYPODIUM** *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Cryptantherarum. Ordo filicum. *German.* Engelsfus. *Gallis* Polipode. *Anglis* Polypodie. *Italis* Polipodio.

**POLYPODIUM** *fronde pinnata, pinnis lanceolatis, alternis, connato-sessilibus, radicem dulcem, subnauseosam, alvum leniter moventem, infusis laxantibus plerumque addendam, officinis subministrat: unciae semis, unius dosi, purgandi, drachmæ unius in infuso, referandi, aperiendi scopo utilis dicitur, ut etiam efficacissima in podagra, arthritide habeatur, & in mania MALOUIN Acad. de Paris 1751. laudet.*

**SACCHARUM** p. 152. sq.

**SYRUPUS** Rosarum solutivus.

**RHABBARUM MONACHORUM** *Offic. Botanicorum* RUMEX. Classis Natur. Pauciflam. *Germ.* Mönch-Rabarber.

**RUMICIS** *floribus hermaphroditis, valvulis integerrimis, tunica granulo notata, amaricans, austera radix, eccoprotica, raro hodie interno dicatur usui; decoctum ulcera mundat, adstringit, unciae unius, unius semis dosi.*

**RHAPONTICUM** *Off. Botanic.* RHEUM. Classis Pauciflam. *Germ.* Rapontik. *Gallis* Rapontic.

**RHAPONTICUM** *foliis glabris radicem amarā, subadstringentem, purgantem, largitur, hodie exoletam.*

RHA-

RHABARBARUM Verum *Off.* RHEUM  
*Botanicorum.* Classis Pauci-stam. *Germ.* Rha-  
 barber. *Gallis* Rhubarbe. *Anglis* Rhubarbe.

RHEUM *foliis subvillosis*, usitatissimum, etiam  
 innocuum purgans, pueris, ob mucii copiam, quam  
 detrahit, & fibrarum robur, quod addit, maxime con-  
 veniens: datur a granis octo ad quindecim in pulvere,  
 in infuso ad drachmas duas: cæterum minori dosi da-  
 tum, & aliis iunctum, roborantem virtutem habet,  
 non tamen ullam ad alios morbos specificam. Tor-  
 retur etiam in alvi fluxibus, ut magis roboret, mi-  
 nus purget.

PRÆPARATA. *Extractum* Rhabarbari: dosi  
 scrupulus, drachma semis. *Tinctura* rhei aquosa. Do-  
 sis unc. duæ, tres, cochleatim fumendæ, guttis XXX.  
 XL. liquoris anodyni mineralis remixtæ.

TAMARINDI *Offic. Botanicorum* Classis Pau-  
 ci-stam. *Germ.* Tamarinden. *Gallis* Tamarins.  
*Anglis* Tamarind.

TAMARINDUS TOUR. SLOAN. fera  
 utriusque Indiæ, Ægypti, Arabiæ arbor, fructus sili-  
 quosus pulpa, cui semina insint, fæctos gignit.  
 Pulpa ipsa in Medicinam adhibetur, alia abiiciuntur.  
 Est vero pulpa, grata plurimis fermentatione perden-  
 da aciditate prædita, non exigua salis essentialis & mu-  
 cilaginis vi temperata, docet experimentum; nam &  
 salein essentialem colore rufum, sapore acidum ex Ta-  
 marindis primus extraxit BAUME *Pharm.* hic sal aqua  
 frigida lotus saporem fere omnem & aciditatem amit-  
 tit, calida solutus crystallifatus albus insipidus est, miræ  
 tamen adhuc naturæ phænomena tartari exhibens plu-  
 rima

rima & acidi salis; nam & in igne ut tartarus ardet, habitum etiam eundem fundit, solutionem Mercurii acido Nitri factam albo coagulo præcipitat, dum nec salium tyrannus, nec vitrioli concentratus aut dilutus acor illum minime mutat aut thalamo suo dissolvit, IDEM, inaudito fidelitatis exemplo.

USUS MEDICUS ad alvum laxandam multus, tum alias tum maxime in Saburra alcalina biliosa, quam pariter invertit utilis; quare & ructibus nidorosis & colicæ biliosæ, & diarrhææ & dysentericæ, & aliis ab eadem causa exortis morbis Tamarindi auxilio sunt. De-coquantur uncia semis unius dosi ut forma haustus, apozematis adiecto tartaro vini vel sale acetosellæ vel Anglicano, aut Sedlizeni exhibeantur; alias etiam coctis in aqua Tamarindis fenna Rheumve infunditur, ut inde vis purgans actuetur. Datur pariter pulpa Tamarindorum drachmarum trium uncia semis pondere cum salibus modo memoratis in lactis sero diluta. Cæterum electuarii commoda forma est nec gravidis nec iuvenibus exosa aut periculosa, dum Cassiæ & Tamarindorum iunctæ pulpæ Rheo & sale imprægnantur.

## E X A C R I B U S.

GUMMI AMMONIACUM.

GALBANUM.

OPOPANAX.

SAGAPENUM, maiori assumpta dosi.

ALOE *Offic. Botanicorum* Classis Naturalis Liliorum. *Germ.* Aloe. *Gallis* Aloe. *Anglis* Aloe.

ALOE *foliis spinosis, confertis, dentatis, vaginantibus, planis, maculatis*, tres sub se varietates complecti-

plectitur, vulgarem *Hepaticam* officinis, floribus suave rubentibus, *Succotrinam* officinis, Guinensem maculatam, *caballinam* demum officinis. Rarioris usus caballina, nigrior, impurior, frequentioris hepatica, & succotrina puriores, purissima ex succotrina lucida facta.

Est vero Aloe officinarum expressus & inspissatus succus aloes, odoris nauseosi, saporis amarissimi, calidi, mirum corpus absque multa resina tenacissimum maximeque glutinosum, septimam sui ponderis partem vix resinosam habens, tamen omnium optime in spiritu vini rectificato, tum in spiritu vini, aqua, minime vero in vino albo solubile *Pharmacien moderne* l. c. tum ad ignem paulo longius decoctum enervatur & plane inefficax sit, ni dosis eius intendatur *HOFFMANN Observat. Physico-Chem.* ut & inde de infuccatis Aloes præparatis facilis sit censura.

VIS MEDICA alvum movens, purgans nota, granorum quindecim, viginti, triginta dosi; aperiens, obstructions, icterum solvens, a granis quatuor ad decem non infima. Notari meretur crebriorem eius usum ad hæmorrhoides disponere, & hæmorrhoides suppressas hoc medicamento revocari, tum non per se solam exhibendam Aloem esse, sed continuo cum aliis tenacitatem eius dividendum præscribendam, quæ res nonnullis arcana est; & inde encomia pilularum Francofurtensium aloeticarum, ut & anglicarum. Corpora vero, quæ aloes gluten dividant, sunt sal tartari, sapo venetus, saccharum, Manna, Mel, Bilis, ovorum vitellus: omnium optime Aloe cum bile animalium, & sapone veneto præscribitur. Anthelmintica non est, ex experimentis *RHEDI*, quibus constat, aloem, Colo-

cyn.

cynthidem, pluraque alia amara hac destitui efficacia, absynthium tamen, & corticem peruvianum hac haud carere. IDEM. Cæterum noxia dicitur Aloe biliosis & ad Hemoptoen dispositis.

Externe vis balsamica in multa utilis, in condituras cadaverum, in absterfionem fordidorum ulcerum, ossium carioforum curationem, adhuc ulceribus sinuosis, fistulis, soluta iniicitur. Multi exigua dosi collyriis etiam addunt.

PRÆPARATA esse possunt *Tincturæ* aloes aquosæ, vel spirituosæ extemporaneæ, fistulis utiles; *Elixir* proprietatis PARACELSI, aloen, crocum, myrrham, recipiens. *Pilulæ* RUFFI elixir proprietatis ficcum: alia præparata aloes insuccatæ suis placent Autoribus.

MERCURIUS dulcis grosso modo tritus. Lactantibus grana quinque, decem, pueris scrupulus datur.

## EX ACRIORIBUS.

AGARICUS *Offic. Botanicorum* FUNGUS.  
Classis Naturalis Fungorum. *Germ.* Lerchenschwam. *Gallis* Agaric. *Anglis* Agarike.

FUNGUS *laricis*, acer, nauseosus, vim eximiam ecoproticam habet, drachmæ semis, unius dosi, in pulvere, drachmarum duarum ad quatuor in infuso.

ASARUM p. 210.

CARTHAMI semina

HERMODACTYLI vide *Venena*.

IA.



**IALAPPA** *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis fructiflor. *Germ.* Ialappen-wurtz. *Anglis* Ialapp. *Gallis* Ialapp.

**IALAPPA** *floribus congestis terminalibus erectis,* familiare purgans; infantibus grana duo, tria, quatuor, pueris debilibus grana sex, decem, adultis dimidia drachma, scrupuli duo conveniunt. Ialappa nulla indiget emendatione, *GEOFFROY Mat. Med.* & nulla huius medicamentis præparatio melior, quam ipsamet eius substantia, *IDEM. BOULDU. QUINCY.* *L. B. VAN SWIETEN T. IV.* maxime si saccharo teratur ut eius tenacitas resinosa, a qua imprimis metuum videtur frangatur. Tutum est anthelminticum. Nec resina uberius evacuat, imo sæpe minus, & semper cum molestia & torminibus *GEOFFROY*, ut in plurimis Chemica arte carere medicina possit & debeat *Pharm. moder. l. c.* dum enim in extractionem resinæ impensa cura fuit, in correctionem eiusdem nova impendi debet *QUINCY.*

**PRÆPARATA.** *Extractum* ad scrupulum. *Resina*, quam copiosam largitur, ad grana decem, duodecim, cuius tenacitas amygdalis dividenda, vel forma pulveris, vel emulsi dari potest, etiam spiritu vini soluta cum syrupo violarum: vis resinæ salibus multum acuitur; viginti alvi deiectiones, a semi drachma cremoris tartari, & duobus resinæ ialappæ granis *PECHLINUS* habet, haud familiari eventu.

**MECHOACANNA** *Off. Botan.* **CONVOLVULUS.** Classis Pauciflor. *Germ.* Mechoacan. *Gallis* Mechoacan. *Anglis* Mechoacan.

**CONVOLVULUS** *Mechoacan,* subinspidus, inodorus, eccoproticus, infantibus haud incommodus grano-

granorum quinque ad decem, adultis drachmæ unius in pulvere, in infuso vero drachmæ unius ad quatuor pondere. Decoctione eius vis purgans perit. Hæc purgatio plurimum laudatur in catarrhosis, & frigidis affectibus epilepsiæ, asthmatis, arthritidis, strumarum.

SCAMMONEUM *Offic. Botanicorum* CONVULVULUS. *Classis Pauci-stam. Germ.* Scammonien. *Gallis* Scammonee. *Anglis* Scammony.

CONVOLVULI, *foliis sagittatis, postice truncatis, pedunculis ramosis, bifloris, gummoso-resinosus succus, amarus est, purgans, sanguinem solvens, exiguis dosibus venenatus.* L. B. VAN SWIETEN. Purgandi scopo a granis quinque ad quindecim exhibetur saccharo subactum scammonium. Diagrydium, & aliæ correctiones, inutiles. Resina laudabilis, a granis quinque ad decem in spiritu vini exhibenda. Cæterum acuendi intentione aliis purgantibus grana duo, tria adiciuntur. Sincerum habetur, quod cito solvitur in aqua, quam lactescere cum virore facit. RUSSEL *Medical observations and inquiries by a Society of physicians in London Vol. I.*

SENNÆ *Offic. Botanicorum* CASSIA. *Classis Pauci-stam. Germ.* Senes-Blätter. *Anglis* Sene. *Gallis* Senné.

CASSIA *foliolis subovatis, trium quatuor parium, & Sennam Alexandrinam, & Italicam species, complectitur.* Alexandrina folia & folliculos, Italica sola folia largitur. Sintne folia sennæ Italicæ Alexandrinis  
Cranz *M. M. T. II.* P infe-

inferiora? LINNEUS negat, ut folia Alexandrina per excellentiam male præscribantur, & frequentius adhibeantur. An stipites tormina faciunt? L. B. van SWIETEN observare non potuit. Id decoctio efficit, ut etiam hypercatharsin excitent, HEISTER, sed etiam pulvis hæc facit, GEOFFROY. Cæterum antiquissimum purgans, datur forma pulveris a scrupulo ad drachmam semis, in infuso a drachmis duabus ad unciam semis, vel solum, vel cum aliis. Ingratum fennæ saporem folia scrophulariæ corrigunt, MARCHAND. *Acad. des Sciences*. Dosis dimidium ponderis fennæ ad hanc correctionem adæquata est, maior enim laxantem vim frangit *Acad. N. C. Vol. X. Cl. RITTER*. Senna decoqui non debet, nec Rheum nec Myrobalani, nec alia purgantia non acida, cæterum roboratūra magis, purgatūra minus.

SOLDANELLA *Offic. Botanicorum*. CONVULVULUS. *Classis Pauci-stam. Germ.* Meerwinde. *Gallis* Chaux de Mer. *Anglis* Seecoole.

CONVOLVULUS *foliis reniformibus*, drasticum, hydragogum medicamentum est, hydropicis utile, tam in succo lacteo ad semi unciam, unam, dato hydropicis, quam in decocto, infuso, aut pulvere. Folia quinque in infuso theiformi dedit puellæ L. B. van SWIETEN, vigesies quinquies purgata est. Cæterum soldanellæ pulvis a scrupulo semis ad scrupulos duos, in infuso a drachma semis ad drachmas duas datur. Recentia folia œdemati applicata saluti sunt.

SYRU-

SYRUPUS, infusum florum Persicorum P. I.  
P. 51.

TURPETHUM *Offic. Botanicorum* CON-  
VOLVULUS. *Classis Pauci-stam. Germ.*  
Turbith. *Gallis* Turbith. *Anglis* Turbith.

CONVOLVULUS *foliis cordatis, angulatis,*  
*caule membranaceo, quadrangulo, guminosus est, tar-*  
*dus purgat, in hydrope, arthritide utilis: pro pur-*  
*gante a granis septem ad decem, triginta, quadragin-*  
*ta, in pulvere, a drachma semis, ad tres in infuso da-*  
*tur. Rarioris est usus.*

TURIONES SAMBUCI P. I. p. 57. sq.

EBULI p. 73.

E X A C E R R I M I S.

BRYONIA *Offic. Botanicorum. Classis Naturalis*  
*Incompletarum. Germ. Stickwurtz. Gallis*  
*Colovrée. Anglis* Bryonie.

BRYONIA *foliis quinquangulis, scabris, acris,*  
*amara, nauseosa, saporem, & odorem opio analogum*  
*habet, ut instar opii agere videatur, NICOLAI. Ta-*  
*men valide corpus mutat, acriter purgat, ut hydro-*  
*picum etiam emungat, & mania oppofuerit SYDEN-*  
*HAM, epilepsia alii. Parca quantitate emmenagogis*  
*additum mire eorum actionem iuvare solet. Radix*  
*pulverata ad scrupulum, drachmam semis, pro dosi*  
*sumitur: drachmae unius, duarum pondere, in vino*

P. 2

pro

pro haustu coquitur. Sucus raro datur; qui drachmæ unius dosi syrupo immisceri pro haustu posset. Extracti dosim drachmæ unius facit LINNÆUS. Externe potenter discentit cataplasma radice recentis crudum, siccatæ coctum, addito vino etiam sale ammoniaco, & tum pariter strumis utile. Fœcula inutilis.

COLOCYNTHIS *Offic. Botanicorum* CUCUMIS. Classis Naturalis Incompletarum. *Germ.* Coloquinte. *Gallis* Coloquinte. *Anglis* The bitter Gourde.

CUCUMERIS *foliis multifidis, pomis globosis, glabris*, amarissima pulpa, maxime drastica, ut etiam inflammet, exulceret, epilepsiæ opposita, LINNÆUS. Interno usu cautissime danda, & monet *Illustr.* van SWIETEN parcissima dosi datam pulpam egregium emmenagogum esse; dum V. G. illius pulvis aliis pulveribus ita additur, ut omni trihorio vel quadrihorio grani octava pars assumatur, aut etiam alia ratione pilulas ingrediatur.

Externe clysmatibus ad lethargum, apoplexiam ferofam, maxime adhibetur hodie, ad drachmam unam. Præparata multis magis usitata sunt, ut

TROCHISCI ALHANDAL. Colocynthidis pulpa gummi arabico temperata, securior est simplici. Dosis a granis duobus ad decem; loco stimuli a grano uno, ad tria. *Extractum* habetur: est etiam *oleum*.

ELA-

ELATERIUM. vide *Venena*.

ESULA. vide *Venena*.

EUPHORBIIUM. vide *Venena*.

GRATIOLA *Off. Botanicorum*. Classis Naturalis Ringentium, *Germ.* Wild-Aurin. *Gallis* Gratiolle. *Anglis* Hedge-Hyssope.

GRATIOLA *floribus pedunculatis, foliis lanceolatis, serratis*: amara planta non solum alvum, sed etiam vomitum movet. Hydropicis convenit, & datur pro purgante in pulvere a granis quindecim ad triginta, in infuso a drachma una, ad duas, sed validum corpus requirit, CHOMEL. Est etiam purgans radix, quam pulverisatam a scrupulo semis ad drachmam semis MORELLUS exhibet, & idem præstare in dysenteria ac ipecacuanham, BOULDUK affirmat, qui etiam insignem vim anthelminticam in ea lacti infusa invenit *Acad. des Sciences 1705*. Extractum non prostat.

GOMMI GOTTE *Offic. CAMBOGIA*  
*Botanicorum*. Classis Multi-stam. *Gallis*  
Gommegutte. *Anglis* Gamboge.

CAMBOGIA succum fundit resinoso-gummosum, hydropicis utilem, scopo purgandi, a granis duobus ad quatuor, a quatuor ad decem; sæpe etiam vomitum movet; in hoc medicamento id tenendum, quod licet emeticum, bis tamen lotum purgans placidum fiat, IENSENIUS *Prod. Act. Med. Havniensium*, & a granis quinque incipiendo, sensim ascen-

dendo ad grana quindecim, exhibendo alternis diebus, hydropicos curaverit. *Ibidem Observat.* V. licet dosi minori etiam sufficere NICOLAI reliquerit, scilicet gr. quatuor cum pulvere radicis squillæ & vinetoxici. Sed forma pulveris haud adeo conveniens ALLEYNE, nec sine lixivioso sale vel saccharo facilis, IDEM, optima pilularis vel boli. Multum salis habet hoc medicamentum, qui diureticus sit. BOULDUAC *Acad. des Sciences.*

HELLEBORUS niger vide *Venena.*

IRIS p. 177.

MERCURIUS præcip. Albus

Flavus

Ruber p. 196. sq.

ROSÆ PALLIDÆ

SYRUPUS Rosarum solutivus.

SPINA CERVINA *Offic. Botanicorum.*

RHAMNUS. Classis Naturalis Incompletarum. *Germ.* Creutz - Beer. *Gallis* Neprun. *Anglis* Buck - thorn.

RHAMNUS *spinosus, foliis ovatis, acuminatis, serratis,* baccas habet nauseosas, amaras, purgantes, in arthritide utiles. Baccæ viginti, triginta numero, succus a drachmis duabus ad unciam semis, & syrupus unciam dosi, alvum satis movent. Usitatissimus est syrupus inde confectus, de *spina cervina*, vel etiam *domesticus* dictus, qui & infantibus datur drachmæ unius,

unius, duarum pondere, adultis uncia unius, duarum mole.

VERATRUM vide *Venena*.

PURGATIONEM  
INHIBENTIA.

1. Oleosa.
2. Acida,
3. Adstringentiã. Simarouba.
4. Opiata.
5. Vomitoria.







CLASSIS DUODECIMA

ANODYNA

ET

NARCOTICA.

Quæ dolorem in toto vel parte leniunt, demulcent, mutando, vel tollendo causam, ANODYNA, atque hæc quidem varia ex materie peti possunt. Quæ vero solam animam captivant, & quasi inebriant, insensibilem reddunt, NARCOTICA, & maiori gradu STUPEFACIENTIA dicuntur.

Indicantur ad mitigationem symptomatum

1. Doloris.
2. Vigiliarum nimiarum a nimio motu spirituum.
3. In excretionibus nimis.
4. In convulsionibus.

LENIORA.

CHAMOMILLA Nostras

Romana p. 187. fq.

CHAMOMILLÆ Romanæ flores decocti, decoctum admodum salsum efficiunt, adeo quidem, ac  
si

fi sal culinare decocto infusum, SIMON PAULI. Oleum stillatitium, ut millefolii, saphirinum.

MILLEFOLIUM *Offic. Botanicorum.*

ACHILLEA. Classis Naturalis Compositarum Radiatarum. *Germ.* Tausend-Blatt, *Gallis* Millefeuille. *Anglis* Yarrow.

ACHILLEÆ *foliis duplicato-pinnatis, glabris, laciniis linearibus, acute laciniatis, flores destillati oleum dant saphirini coloris, sedans, antispasmodicum. Infusum florum in spasms, doloribus post partum, cardialgicis, colicis, hæmorrhoidalibus utile FR. HOFFMANN de Præstant. Medic. Domestic. tum, & sanguinis eiectionibus, hæmorrhagiis maioribus, a spasticis viscerum contractionibus eximium, IDEM ibidem, etiam in anxietate hypochondriaca, STAHL, in nephritide calculosa, ZIMARA. Succus multum vulnerarius ad uncias tres, quatuor, datur, flores ad manipulum semis infunduntur, ad unum herba.*

TILIA *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Multi-stam. *Germ.* Linde, *Gallis* Tilleul, *Anglis* Linden-Tree.

TILIÆ flores suaveolentes, anodynæ sunt; chronicam epilepsiam infuso florum sublatam HOFFMANN habet, *de Præstant. Remed. Domesticor.* Cortex itidem medius cum aqua in mucilaginem redactus, ambustionibus, podagricis, & arthriticis doloribus,

præsentissime medetur, IDEM. Decocto vinoso corticis cachecticam in integrum sanatam vidit SCHRODERUS.

## PRÆPARATA.

*Aqua stillatitia, antispasmodica, antiepileptica, pueris datur,*

VIOLÆ flores *Off. Botanicorum.* Classis Pauci-stam. *Germ. Violen. Gallis Violette. Anglis Violets.*

VIOLÆ *acaulis, stolonibus teretibus, reptantibus, pedunculis radicatis, flores, suaveolentes, vim anodynam possident, ut etiam ad morbos convulsivos específicos habeat BAGLIVIVS; in infuso theiformi sumi possunt. Conserva* itidem drachmæ unius, duarum pondere, *Syrupus* haud limitata dosi. Notari meretur, femina vomitum, & diuresin movere, ideo nonnullis ad calculum laudari,

## F O R T I A.

PAPAVERIS Capita, DIACODIUM.

Albi succus, vide *antidota.*

Vulnusculi a pungente ape facti dolorem mitigavit, & incommoda prævertit succo, DELISTRE *Recueil periodique* Tom. IV,

CYNO-

CYNOGLOSSUM *Offic. Botanicorum.* Clas-  
fis Pauci-Itam. *Germ.* Hunds-Zung. *Gallis*  
Langue de chien. *Anglis* Houndstongue.

CYNOGLOSSI *foliis amplexicaulibus, lingula-  
tis, mollibus, hirsutis,* suspectam viam plurimi evul-  
gant, negat FULLERUS, cum adstrictione anody-  
nam ad hæmorrhagias, & alvi fluxus laudat GEOR-  
GROY. Repetenda experimenta sunt. Radix ad so-  
porem conciliandum inefficax, HAMNERIN *de vi-  
ribus plantarum indigenarum.* Massæ pilularum de  
cynoglossa dosis gran. quinque, ad octo, non ratione  
cynoglossi, sed opii scrupulosa.

F O R T I S S I M A.

Tum ex animalium partibus sedativis, tum ex  
vegetabilibus petita.

CASTOREUM P. I. p. 194.

MOSCHUS P. I. p. 195.

CROCUS P. I. p. 114.

HYOSCIAMUS vide *Venena.*

OPIUM laud. liquidum.

SOLANA vide *Venena.*

STRAMONEUM vide *Venena.*

TABABUM p. 192.

His

His adnumerari merentur magnæ confectiones  
opiatæ.

DIASCORDIUM.

MITHRIDATIUM.

PHILONIUM.

REQUIES NICOLAI.

THERIACA.

*FINIS TOMI II.*





# ANTIDOTA GENERALIA.

---



a, quæ contra venena dantur remedia,  
generali nomine ANTIDOTA  
vocantur. Quæ contra venenatos fe-  
rarum morsus valent, ALEXITE-  
RIA, etiam THERIACA dicuntur, quæ arcent,  
depellunt venena, ALEXIPHARMACA appel-  
lantur &c.

Venenum vero omne illud vocatur, quod corpori  
animali applicatum illud constanter destruit, aut saltem  
in eo funestos effectus producit; quod quia non sem-  
per cognitum, ideo etiam ea primo loco recensentur  
Antidota, quæ omnibus subvenire possunt, non qui-  
*Crantz M.M. T. III.*                      A 2                      dem